

RICHARDI DE
BURI EPISCOPI DUNELMEN-
fis, Eduardi III, Anglorum Regis Can-
cellarii, & Thesaurarii
Regni


PHILOBIBLION.

item

BESSARIONIS PATRIARCHÆ CON-
stantinopolitani & Cardinalis
Thusculani

EPISTOLA

Ad Principem Senatūque Venetorum mis-
sa anno 1469. qua Bibliothecam suam o-
mnis generis libris instructissimam
eidem Senatui defert ac
donat.



Ex Bibliotheca & recensione

MELCHIORIS HAIMINSFEL-
DII GOLDASTI.

IOH.

*Iohannes Trithemius Abbas Spanhemensis
de scriptoribus Ecclesiasticis:*

Richardus de Bury Episcopus Dunelmensis, Eduardi Anglorum Regis III. Cancellarius, ad quam Francisci Petrarchæ de Tule insula interrogantis exstat epistola, vir in divinis scripturis studioſſimus & valde eruditus, atq; in secularibus literis sufficienter instructus, librorum amator singularis & celeberrimus, multis expensis & laboribus in Universitate Oxoniensi insignem Bibliothecam fundavit, quam ad publicam utilitatem inibi Studentium incredibili studio instituit. Scripsit de amore librorum & institutione dictæ Bibliothecæ pulcherrimum tractatum, quem Græco sermone prænotavit *Philobiblion*, & sic incipit post prologum, *Thesaurus desiderabilis*. Claruit autem sub Carolo Imperatore IV. anno Domini M. CCC. L.

*Iodocus Badius Ascensus Domino Confessori Regio
Cisterciensium Episcopo, Magistro nostro, Laurentio
Burello Carmelita candidissimo, doctissimo
& disertissimo, cum omni reverentia S.*

Accepimus his diebus, Laurenti Pater Optime, lepidum quoddam opusculû, *Philobiblion* ab authore scriptum, & à tua paternitate

D d

nitare ut imprimendum curemus ad nos trās-
missum. Quam quidem provinciam, cum nullā
recusare nec velim nec audeam, lubentissimus
obivi, quod & tuis laudatissimis institutis dignā,
& frigentib. omnino languentibusq; in re lite-
raria animis perquā salubrē norim. Siquidē à
teneris unguiculis, si vera de te prædicant, om-
nes bonos codices, ubi ubi fuerint, è situ ac
tenebris in lucē edidisti, præfagio nimirū feli-
cissimo, quo te per literarū ornamentum mor-
rumq; specimen ad tantū culmē emerfurū bo-
nus inspiravit animus. Salubrem autē desidib; o-
fore provinciam hanc auguro, quod (sit mo-
do ulla in eishonesti animi vena) erubuerint
tā preciosam suppellectilem (de libris loquor)
hactenus neglexisse. Unum tamen vereor, quod
& ægerimo cuiq; evenire solet, quia hæc de-
fidia præsentissima antidota sumere aut (ut
Medici dicunt) recipere contemnent. Sicut n. in
concionib. frustra quodammodo admoneas,
quia non cõparent pessimos, ita in clatis codi-
cibus, quia lecturi non sint, pigerrimos. Utro-
bique tamen tuo, Pater in primis observan-
de, rectissime fungendum censes munere. Va-
le & Ioannem Parvum Bibliopolam opti-
mum, qui hoc munus nobiscum suscepit, no-
biscum amore tuo prosequere. Ex Lutetia
Parhisiõrum, ad Calendas Martias, anno iux-
ta eorundem calculos, M. D.

*Richardi de Buri Episcopi Dunelmensis
Philobiblion. Prologus.*

UNiuersis Christi fidelibus, ad quos præ-
sentis scripturæ tenor pervenerit, Richar-
dus de Buri miseratione divina Dunelminensis
Episcopus salutē in domino sempiternā, piāq;
ipsum præsentare memoriā iugiter coram Deo
in vita pariter & post fata. *Quid retribuam domi-
no pro omnib. quæ retribuit mihi?* devotissim⁹ in
vestigat Psalmista rex in vi & 9 & exim⁹ prophe-
tarū. In qua quæstione gratissima semetipsum
redditorē voluntariū, debitorem multiphariū,
& sanctiorē optantē consiliarium recognoscit
concordans cum Aristotele Philosophorū prin-
cipe, qui omnē de agilibilib. quæstionem *cōsiliū*
probat esse tertio & sexto ethicorū. Sane si pro-
pheta, tā mirabilis secretorū præcius divinorū
præcōsulere volebat tā sollicitē, quomodo gra-
te posset gratis data refundere, quid nos rudes
regratiatores, & avidissimi receptores, onusti
divinis beneficiis infinitis poterim⁹ digni⁹ vel-
le? Proculdubio deliberatione solletū & circū-
spectōe multiplici, invitato primitus spū septi-
formi quatenus in nostra meditatione ighis il-
luminans exardescat, viā impedibilē prævidere
debem⁹ attentius, quo largitor omniū de col-
latis munerib. suis sponte veneretur reciproce,
proximus reveletur ab onere, reatus contact⁹
per peccātes quotidie elemosynarū remediis
redimant. Hui⁹ ergo devotionis monitione

prævntus ab eo, quī solus bonam hominis &
 prævntit voluntatem & perficit; sine quo nec
 sufficientia suppetit cogitandi; cuius quidquid
 boni fecerimus non ambigimus esse manū, di-
 ligenter tam penes nos, quā cum aliis inqui-
 rendo discussimus, quod inter diverforum ge-
 nerum pietatis officia primo gradu placeret al-
 tissimo, prodessetque potius ecclesiæ militanti.
 Et ecce mox nostræ considerationis aspecti-
 bus grex occurrit scholarium elegorum, quin
 potius electorum, in quibus Deus artifex &
 ancilla natura morum optimorum & scientia-
 rum celebriū plantaverunt radices; scilicet ita
 eos rei familiaris oppressit penuria, quod ob-
 flāte fortuna contraria, semina tā fæcunda vir-
 tutum, in inculto iuventutis agro roris debiti
 non rigata favore, arefcere compelluntur.
 Quo fit *ut lateat in obscuris condita virtus clara,*
*ut verbis alludamus Boetii, & ardentis lucer-
 næ non ponuntur sub modio, scilicet præ de-
 fectu olei penitus extinguuntur: sic ager in
 vere floriger ante messem exaruit; sic frumen-
 ta in lolium, & vites degenerant in labruscas.*
 Ac sic in oleastros olivæ siluescunt, marce-
 scunt omnino tenellæ trabeculæ, & qui in
 fortes columnas ecclesiæ poterant excrevisse
 subtilis ingenii capacitate dotati studiorum
 gymmasia derelinquunt. Sola invidia nover-
 cante repeliuntur à philosophiæ nectareo
 poculo violenter, quam primo gustaverunt
 pro

proprio gustu ferventius sitibundi, liberalibus artibus habiles, & scripturis tantum dispositi contemplandis orbatu necessariorum subsidiis quasi quadam apostasiæ specie ad artes mechanicas propter victus solius suffragia ad ecclesiæ dispendium & totius cleri vilipendium revertuntur. Sic mater ecclesia pariendo filios abortire compellitur, quin immo ab utero fœtus informis menstruose disrumpitur, & pro paucis minimisque quibus contentatur natura alumnos amittit egregios postea promovendos in pugiles fidei & athletas. Heu quàm repente tela succiditur, dum texentis manus orditur! Heu quod sol eclipsatur iu aurora clarissima & planeta progrediens regiratur retrogade, ac naturam & speciem veræ stellæ prætendens subito decidit, & fit Assub. Quid poterit pius homo intueri miserius? quid misericordiæ viscera penetrabit acutius? quid cor congelatum intus in calentes guttas resolvit facilius? Amplius ergo arguentes à sensu contrario quantum profuit toti reipublicæ Christianæ non quidem Sardanapali deliciis neque Croæsi divitiis enutrire studentes, sed melius mediocritate scholastica suffragari pauperibus ex eventu præterito recordemur. Quot oculis vidimus, quot ex scripturis collegimus, nulla suorum natalium claritate fulgentes, nullius hereditatis successione gaudentes, sed tantum pro-

borum virorum pietate suffultos, Apostolicas cathedras meruisse? subiectis fidelibus præsuisse probissime? & superbiorum & humilium colla iugo ecclesiastico subiecisse, & procurasse propensius ecclesiæ libertatem? Quamobrem perlustratis humanis egestatibus usquequaque caritativæ considerationis intuitu, huic tam caliginoso generi hominum, in quibus tamen tanta re dolet spes profectus ecclesiæ, prælegit peculiariter nostræ compassionis affectio pium ferre præsidium, & eisdem non solum de necessariis victui, verum multo magis de libris utilissimis studio providere. Ad hunc effectum acceptissimum, coram domino nostra iam ab olim vigilavit intentio indefessa. Hic quidem amor extaticus tam potenter nos rapuit, ut terrenis aliis abdicatis ab animo acquirendorum librorum solummodo flagremus affectu. Ut ergo nostri finis intentio tam posteris pateat quam modernis, & ora loquentium perversa quantum ad nos pertinet obstruamus perpetuo, tractatum parvulum edidimus: stilo quidem levissimo modernorum. Est enim ridiculum rethoricis, quando levis materia scribitur grandi stilo. Qui tractatus amorem, quem ad libros habuimus, ab excessu purgabit, devotionis intentæ propositum propalabit, & circumstantias facti nostri pervi-

gina.

ginti di
Quia ve
differit
rum ip
micabil

Decomm

T Heflor
tia, que
nature del
dit divinit
preciosi
gentu
arena: c
& luna
gultui m
marcefe
omne vi
celesse l
tre lumin
has usque
lis alimo
quem qui
tum anim
aia null

ginti divisi capitula luce clarius enarrabit. Quia vero de amore librorum principaliter differit, placuit nobis more veterum latinorum ipsum græco vocabulo Philobiblion amicabiliter nuncupare.

Explicit prologus.

*De commendatione sapientiæ & librorum in quibus
sapientia habitat. Capitulum
primum.*

Thesaurus desiderabilis sapientiæ & scientiæ, quem omnes homines per instriam naturæ desiderant, cunctas mundi transcendit divitias infinite: cuius respectu lapides preciosi vilescunt: in cuius comparatione argentum lutescit & aurum obriscum exigua fit arena: cuius splendore tenebescunt visui sol & luna: cuius dulcore, mirabili amarescunt gustui mel & manna. O valor sapientiæ non marcescens ex tempore virtus virens assidue, omne virus evacuans ab habente! O manus cœlestis liberalitatis divinæ descendens à patre luminum, ut mentem rationalem provehas usque ad cœlum! Tu es intellectus cœlestis alimonia, quem qui edunt adhuc esurient, quem qui bibunt adhuc sitient: & languentium animas armonia latificans, quam qui audit nullatenus confundetur.

Tu es morum moderatrix & regula, secundum quam operans non peccabit. *Per te reges regnant et legum conditores iusta decernunt.* Per te deposita rusticitate naturæ elimatis ingenii atque linguis vitiorum sentibus cœffossis radicitus, apices consequuntur honorum, fiuntque patres patriæ & comites principum. Qui sine te conflasset lanceas in ligones & vomeres, vel cum filio prodigo pascere fortasse suos.

Quo namque sic lates potissime multum præeclatæ thesauræ? & ubi te invenient animæ sitibundæ; In libris quidem procul dubio posuisti tabernaculum desiderabile, tuum, ubi te fundavit altissimus, lumen luminum, liber vitæ. Ibi namque te omnis qui petit, accipit: qui quærit, invenit: & pulsantibus citius aperietur. In his Cherubin alas suas extendunt, & intellectus studentium ascendunt, & à polo usque ad polum prospiciunt, à solis ortu usque ad occasum, ab aquilone & mari. In his incomprehensibilis ipse Deus altissimus apprehensibiliter continetur & colitur. In his patet natura cœlestium, terrestrium & infernorum. In his cernuntur iura, quibus omnis regitur politia, hierarchiæ cœlestis distinguuntur officia, & dæmonum tyrannides describuntur, quos nec ideæ Platonis exsuperant, nec Crathonis cathedra continebat. In libris mor-

mortuos qu
prævideo: n
de libris pro
puntur &
quos gener
mundi glo
mortalibus
lexander or
bis invalor
nitæ perib
bricus & Ca
woria, si libro
eterram sunt
dine patierun
reperit. Rex
uilegium co
libros. Red
quandiu il
natos nequ
prologo Al
qui scientia
thesauro il
va & vetera
precium lin
mia, que
gatur, qu
vobinet s
visita sin
triba simplex
In libris

mortuos quasi vivos inuenio : in libris futura
 prævideo : in libris res bellicæ disponuntur :
 de libris prodeunt iura pacis. Omnia corrum-
 puntur & tabescunt in tempore : Saturnus
 quos generat, deorare non cessat: quoniam
 mundi gloriam operiret oblivio, nisi Deus
 mortalibus librorum remedia providisset. A-
 lexander orbis dominator, Iulius orbis & ur-
 bis inuasor, qui & in arce & arte primus, in u-
 nitate personæ assumpsit imperiū. Fidelis Fa-
 bricius & Cathorigidus hodie caruissent me-
 moria, si librorum suffragia defuissent, Turres
 ad terram sunt dirutæ ; civitates everstæ putre-
 dine perierunt triumphales ? nec quicquam
 reperiet Rex vel Papa, quo perenniter pri-
 vilegium conferatur commodius, quàm per
 libros. Reddit vicissitudinem liber factus, ut
 quamdiu liber supererit actor manens atha-
 natos nequeat interire, teste Ptolomæo in
 prologo Almagesti: *Non fuit, inquit, mortuus,
 qui scientiam vivificavit.* Quis igitur infinito
 thesauro librorum doctus scriba profert no-
 va & vetera per quodcunque alterius speciei
 precium limitabit ? veritas vincens super o-
 mnia, quæ regem vivum & mulieres supera-
 greditur, quàm amicis præhonore benefici-
 um obtinet sanctitatis ; quæ est & via sine de-
 vio & vita sine termino. Cui facer Boetius at-
 tribuit triplex esse, in mente, voce & scripto.
 In libris videtur manere utilius & fructificare

fecundius ad profectum. Nam veritas vocis
 perit cum sonitu: veritas mente latent est sa-
 pientia absconsa & thesaurus invisus: veritas
 vero quæ lucet in libris omni se disciplinali
 sensui manifestare desiderat. Visui dum legi-
 tur: auditui dum auditur, amplius vero & ta-
 ctui se commendat quodammodo, dum tran-
 scribi se sustinet, colligari, corrigi, & seruari.
 Veritas enim mentis clausa licet sit possessio
 nobilis animi, tamen cum caret socio non con-
 stat esse iocundam, de qua nec visus iudicat
 nec auditus. Veritas vero vocis soli patet au-
 ditui, visum latens qui plures nobis differen-
 tias rerum ostendit, affixaque subtilissimo
 motui incipit & desinit quasi simul. Sed veri-
 tas scripta libri non successiva sed permanens
 palam se præbet aspectui, & per spirituales vi-
 as oculorum veluti vestibula ac sensus com-
 munitis & imaginationis atria transiens thala-
 mum intellectus ingreditur in cubile memo-
 riæ se recondens, ubi æternam mentis conge-
 nerat veritatem. Postremò pensandum quan-
 ta doctrinæ commoditas sit in libris, quam
 facilis, quam archana, quam toto libris hu-
 manæ ignorantie paupertatem sine verecun-
 dia denudamus. Hi sunt magistri qui nos in-
 struunt sine virgis & ferula, sine verbis & cho-
 lera, sine pannis & pecunia. Si accedis non
 dormiunt, si inquirens interrogas, non se ab-
 scondunt, non remurmurant si oberres ca-
 chin-

chinnos, nes-
 rales & liber-
 omnes man-
 Quot rerum
 commenda-
 inspirata.
 phiæ sodim-
 mittit ut in-
 rum quinto.
 quos pater A-
 deravit, quod
 nis genibus rice-
 ce gratillima-
 manibus con-
 gratillimus f-
 Vos estis un-
 tur atque p-
 mellis, uber-
 ria semper p-
 dripartitus
 na palciatur.
 rigatur. V-
 naleque qu-
 tur. Vos lap-
 tislampades
 Imjidiissimi
 ptematur.
 cleorum m-
 destrinæ soli
 sterilestem a

chinnos, nesciunt si ignores. O libri soli liberales & liberi? qui omni petenti tributis, & omnes manumittitis vobis sedulo servientes. Quot rerum milibus typice viris doctis recommendamini in scriptura modo divinitus inspirata. Vos enim estis profundissimæ sophiæ fodinæ: ad quas sapiens filium suum mittit ut inde thesauros effodiat, proverbiorum quinto. Vos putei aquarum viventium, quos pater Abraham primo fodit, Isaac eruderavit, quosque nituntur obstruere Philistini, genesis vicesimo sexto. Vos estis revera spicæ gratissimæ, plenæ granis, solis Apostolicis manibus contricandæ, ut egrediatur cibus gratissimus famelicis animabus, Mathæi XII. Vos estis urnæ aureæ, quibus manna reconditur atque petreæ mellifluæ, imo potius favi mellis, ubera uberrima lactis vitæ, promptuaria semper plena. Vos lignum vitæ, atque quadripartitus fluvius Paradisi, quo mens humana pascitur, & aridus intellectus imbuitur & rigatur. Vos archa Noæ & scala Iacob, canalesque quibus fœtus intuentium coloratur. Vos lapides testimonii, & lagenæ servantes lampades Gedeonis, pera David de qua limpidiissimi lapides extrahuntur ut Goliath prosternatur. Vos estis aurea vasa templi, arma clericorum militiæ quibus tela nequissimi destruantur, olivæ fœcundæ, vineæ Engadi, ficus sterile scire nescientes, lucernæ ardentes, Et
opti-

optima quæq; scripturæ libris adaptare poterimus, si loqui libeat figurate.

Capitulum autem istud secundum canit, quod libri divitiis et deliciis corporalibus sunt præponendi.

SI quodlibet iuxta gradum valoris gradum ineffabilem persuadet præfens capitulum, non tamen liquet lectori, quid sit concludendum probabiliter. Non enim demonstratibus in morali materia utimur, recordantes quoniam disciplinatus hominis est certitudinem quærere, sicut rei naturam perspexerit tolerare, Aristotele Philosopho attestante ethicorum primo & metaphysicæ secundo: quoniam nec Tullius requirit Euclidem, nec Euclidi Tullius facit fidem. Hæc revera sive logice sive rethorice suadere conamur, quod quæcunque divitiæ vel deliciæ cedere debent libris in anima spiritali, ubi spiritus qui est charitas, ordinat charitatem. Primo quidem, quia in libris sapientia continetur plusquam omnes mortales comprehendunt. Sapientia verò divitiis vilipendit sicut capitulum antecedens allegat. Præterea Aristoteles de problematibus tertio problemate decimo, istam determinat quæstionem, propter quid antiqui in gymnasticis et corporalibus agonis præmia statuerunt potioribus, nullum uno præmium sapientiæ decreverunt? hanc quæstionem ita solvit: in gymnasticis

exercitiis præmium est melius & eligibilius illo, pro quo datur. Sapientia autem nihil melius esse constat. Quamobrem sapientia nullum potuit præmium assignari. Igitur nec divitiæ nec deliciae sapientiã antecellunt. Rursus amicitia divitiis præponendam esse solus negabit insipiens, cum sapientissimus hoc testatur, amicitia vero veritatem Archiphilosophus præhonorat, & verus Zorobabel omnibus anteponit. Subsunt igitur deliciae veritati. Veritatem verò potissime & tuentur & continent satis libri, immo sunt veritas ipsa scripta, quia pro nunc librorum asseres librorum non asserimus esse partes. Quamobrem divitiæ subsunt libris, præsertim cum preciosissimum genus divitiarum omnium sint amici, sicut secundo de consolatione testatur Boetius: quibus tamen librorum veritas est per Aristotelem præferenda. Amplius vero cum divitiæ ad solius corporis subsidia primo & principaliter pertinere noscantur: veritas verò librorum sit perfectio rationis, quæ *bonum humanum* proprie nominatur. Ergo apparet, quod libri homini ratione utenti sunt divitiis cariores. Præterea enim illud, quo fides defenditur commodius, dilatur diffusius, prædicatur lucidius, diligibilius debet esse fideli. Hoc autem est librorum veritas libris inscripta. Quod evidentius figuravit salvator, quando contra tentationem præliaturus viriliter se scuto circumdedit veritatis, non cuiuslibet

libet sed scriptæ, scriptum est præmittens, quod vivæ vocis articulo erat prolaturus, Matthæi 4. Rursus igitur felicitatem nemo dubitat esse divitiis præponendam. Consistit enim felicitas in operatione nobilissimæ & divini-
 oris potentia quâ habemus, dum videlicet intellectus vacat totaliter veritati sapientia contemplanda: quæ est delectabilissima omnium operationum secundum virtutem, sicut princeps Philosophorum Arist. determinat quarto ethicorum, propter quod & philosophia videtur habere admirabiles delectationes puritate & firmitate, ut ibidem scribitur consequenter. Contemplatio autem veritatis nunquam est perfectior quam per libros, dum actualis imaginatio continuata per actum intellectus super visas veritates non sustinet interrumpi. Quamobrem libri videtur esse felicitatis speculativæ immediatissima instrumenta. Unde Arist. sol. physicæ veritatis ubi de eligendis distribuit methodos, docet quod philosophari est simpliciter eligibilis quâ ditari, quavis casu ex circumstantiis puta necessariis indigenti ditari quam philosophari sit potius eligendi, tertio topicorum. Ad hæc cum nobis libri sint commodissimi magistrum, ut præcedens assumit capitulum, eisdem non immerito tam amorem quam honorem tribuere convenit magistralem. Tandem cum omnes natura scire desiderant, ac per libros sciam veritatis præoptandam divitiis omnibus adipisci possimus, quis ho-

homo secun
 habeat app
 garitas sper
 tis læ dicit
 ret margar
 pib sapient
 tur hinc ne
 tertio. Qui
 tatis, sapien
 rem, libror
 Capitulum p
 ten

Orrelaru
 vicinus,
 dum. Nulla
 impedire no
 petat quod
 malicia ven
 tunius exper
 præcipuum
 rus homini
 ut prædicta
 rum esse co
 finitum? Qu
 & civite ven
 horetur, Pro
 mis rendere
 loge suaden
 Archiepiscop
 datum pasc

homo secundum naturam vivens librorum nō habeat appetitum? quamvis vero porcos margaritas spernere videamus, nihil in hoc prudētis laeditur opinio, quo minus oblatas compareret margaritas. Preciosior igitur est cunctis opib; sapientiæ libraria, & omnia quæ desiderantur hinc non valent comparari, proverbiorum tertio. Quisquis igitur se fatetur veritatis, felicitatis, sapientiæ scientiæ, vel etiam fidei zelatorem, librorum necesse est se fateatur amatorē.

Capitulum quidem tertium quod libri semper debent emi, nisi in duobus casibus.

Correlarium nobis gratum de prædictis elicimus, paucis tū (ut credimus) acceptandum. Nulla videlicet debere caritiam hominē impedire ab emptione librorum cum sibi suppetat quod petitur pro eisdem, nisi ut obfistatur maliciæ venditoris, vel tempus emendi opportunius expectetur. Quoniam si sola sapientia præcipuum facit libri, quæ est infinitus thesaurus hominib; & si valor librorū est ineffabilis, ut prædicta supponūt, qualiter probabitur carum esse commercium, ubi bonum emitur infinitum? Quapropter libros libenter emendos & invite vendendos sol hoim Salomon nos hortatur, Prov. xxiii. *veritatem, inquit, eme es noli vendere sapientiam, sed quod rethorice vel logice suademus astruam; historiis rei gestæ. Archiphilosophus Aristoteles, quem Averroes datum putat quasi regulam in natura, paucos*

li-

libros Speusippi post ipsius decessum pro septuaginta duobus millibus sestertijs statim emit. Plato prior tempore sed doctrinis posterior Philaloi Pythagorici librum emit pro millibus denariorum, de quo dicitur Thimæi dialogum excerptisse. Sic refert A. Gellius notitium acticarum libro secundo, capitulo decimo sexto. Hæc autem narrat Aulus Gellius, ut perpendat insipiens quantum vilipendant sapientes pecuniam comparatione librorum. Et e contrario, ut omni superbiæ stultitiam, cognoscamus annexam, libet hic Tarquini Superbi stultitiam recensere in parvipensione librorum, quam refert idem Aulus Gellius libro primo notitium acticarum capitulo nonodecimo, Vetula quædam omnino incognita ad Tarquinium Superbum Regem Romanorum septimum dicitur accessisse, venales offerens novem libros, in quibus (ut asseruit) divina continebantur oracula, scilicet immensam pro iisdem poposcit pecuniam, intantum ut Rex diceret, eandem delirare. Illa commota tres libros in ignem proiecit, & pro residuis summam, quam prius, exegit, Rege negante, rursus tres libros in ignem proiecit, & adhæc pro tribus residuis eandem summam poposcit. Tandem stupefactus supra modum Tarquinius summam pro tribus gaudet exsolvere, pro qua novem poterat redemisse. Vetula statim disparuit, quæ nec prius

pius nec p
bylini, q
calum per
solebant
ditur or
bylla Prop
Regem ed
libri omni
dunt? Et si
tum valet
Capitulum p
libros, &

Plogenes
permens,
cuculi, qua
cem suam n
neres erga
cor & quod
putetis, & in
veltri create
fecissent pro
nos nempe
ut parvuli sa
imploratis p
ego protinus
grammaticæ
tibus atque li
disprenota b
tis irregulari

pius nec postea visa fuerat. Hi sunt libri Sibyllini, quos quasi quoddam divinum oraculum per aliquem de quindecim viris consultebant Romani & quindecim viratus creditur officium habuisse. Quid aliter hæc Sibylla Prophetissa tam vario facto superbum Regem edocuit, nisi quod vasa sapientia sacri libri omnem humanam æstimationem excedant? Et sicut de regno cœlorum dicitur, tantum valet, quantum habes.

Capitulum quartum quanta bona proveniunt per libros, & quod mali clerici sunt libris plurimum ingrati.

PRogenies viperarum parentes proprios perimens, atq; semen nequam ingratiſſimi cuculi, quæ cum vires acceperit viriû largitricem suam nutriculam necat: Sic clerici degeneres erga libros. Redite prævaricatores ad cor & quod per libros recipitis fideliter computetis, & invenientis libros totius nobilis status vestri creatores, sine quibus procul dubio defecissent promotores. Ex persona librorum. Ad nos nempe rudes penitus & inertes reptastis, ut parvuli sapiebatis, ut parvuli evigilantes implorastis participes fieri lactis nostri. Nos ergo protinus lachrimis vestris tacti, mamillã grammaticæ porrexim⁹ exfugendam, quã dētib⁹ atque lingua contractastis assidue, donec direpta nota barbariē nostris linguis incipere-tis magnalia Dei fari. Post hæc philosophiæ

Es

vesti,

vestib9 valde bonis, dialectica & rethorica, quas apud nos habuimus & habemus, vos induim9 cū essetis nudi atq; tabula depingenda. Omnes enim philosophiæ domestici sunt vestiti duplicib. ut tegatur tam nuditas quā ruditas intellectus. Post hæc ut alati more Seraphico super Cherubin scandentes, quadrupii pennas vobis quattuor adiungentes transmisimus ad amicū, ad cuius ostium dum tam improbe pulsaretis, tres panes commodarentur intelligentiæ trinitatis, in qua consistit finalis felicitas cuiuslibet viatoris, quod si vos hæc munera non habere dixeritis, confidēter asserim9, quod vel ea per incuriā perdidistis collata, vel in principio desides respuistis oblata. Si hōdi videātur ingratis pusilla, adiicim9 his maiora. Vos estis gengelectum, regale sacerdotium, gens scā & populus acquisitionis: vos peculiarē in fortē dñi cōputati: vos sacerdotes & magistri Dei, imo vos antonomatice ipsa ecclesia dicimini, quasi laici nō sint ecclesiastici nūcupādi. Vos laicis postpositis psalmos & hymnos cōcinitis in cancelis, & altari Dei servitis altario participantes, verū conficitis corpus Christi, in quo Deus ipse vos non solum laicis, imo paulo magis Angelis honoravit, Cui enim angelorum aliqñ dixit: *Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinē Melchisedech?* Vos xpi crucifixi testimonium dispensatis pauperib. ubi iam quæritur inter dispensatores ut fidelis quis inveniatur. Vos estis pastores gre-

gregis divi
qui vobis
istorū om
reminisce
cis futu
nos siqu
cathedra
Rabbi.
lut mag
sæ secul
adhuc ca
nera con
prohibent
dum: Nō
tu meo vol
vere vol
prio prot
te malit
tes, ram
fortē do
furum.
homicid
nī, tā fam
bus, cor
pedibus
putiendi
nec est, q
hominē
tūto, cr
feronū
ga: tam

gregis diversi tā exēplo quā̄m verbo doctrinā, qui vobis tenetur repēdere lac & lanā. Qui sūt itorū omniū largitores, ô clerici? nonne libri? reminisci libeat supplicam⁹ quod per nos clericis sūt concessa egregia privilegia libertatū. Per nos siquidē vasa sapientiā & intellectus imbuti cathedras scāditis magistrales vocati ab hoib. Rabbi. Per nos in oculis laicorū mirabiles velut magna mundi luminaria dignitates ecclesiā secundū sortes varias possidetis. Per nos, cū adhuc carebatis genarū lanugine in ætate tenera constituti, tonsuram portatis in vertice, prohibentē statū ecclesiā sententia formidandum: *Nolite tangere Christos meos, & in prophetis meis nolite malignari.* Et qui eos tetigerit temere violenter anathematis vulnere ictu proprio protinus feriatur. Tandē ætate succubente malitiā figuræ Pythagoricæ biviū attingentes, ramum lævum eligitis, & retrorsū abeuntes sortē domini præassūptā dimittitis, socii facti furum. Sicq; proficientes in peius, latrociniiis, homicidiis & multigenis impudicitiis maculati, tā fama quā̄m conscientia tabefacta sceleribus, compellente iustitia, in manicis & compedibus coartati servamini, morte turpissima puniendi. Tunc elogatur amicus & proximus, nec est, qui doleat vicem vestram. Petrus iurat se hominem non novisse: vulgus clamat iustitiaris, *crucifige eū crucifige, quoniam si hunc dimiseris, non es amicus Cesaris.* Iam perit omnis fuga: Iam ante tribunal oportet assisti, nec locus

suppetit appellandi, sed solum suspendium ex-
 pectatur. Dum sic tristitia compleverit cor mi-
 seri & solæ Camenæ laceræ fletib, ora rigant, sit
 balatus angustiis undique memor nostri, & ut
 evitet mortis propinquæ periculum antiquatæ
 tonsuræ quam dedimus, parvum præfert signa-
 culum, supplicās ut vocemur in medium & col-
 lati muneris testes simus. Tunc misericordia sta-
 tim moti occurrimus filio prodigo, & à portis
 mortis servum eripimus fugitivum. Legendus
 liber potrigitur non ignotus, & ad modicam
 balbutientis præ timore lecturam iudicis pote-
 stas dissolvitur, accusator subtrahitur, mors fug-
 gatur. O carminis empirici mira virtus? O diræ
 cladis antidotum salutare? O lectio preciosa
 psalterii, quæ meretur hoc ipso liber vitæ de-
 inceps appellari. Sustineant laici seculare iudi-
 cium, ut vel insuti culleis enatent ad Neptunum,
 vel in terra plantati Plutoni fructificent, aut
 Vulcano per incendia holocausta se offerant
 medullata, vel certe suspensi victima sint Iuno-
 ni; dum noster alumnus ad lectionem unicum
 libri vitæ Pontificis commendatur custodiæ, &
 rigor in favorem convertitur. Ac dum forum
 transfertur à laico à librorum alumno clerico
 mors differtur. Ceterum iam de clericis, qui
 sunt vasa virtutum, nos loquamur? Quis de
 vobis pulpitem vel scabellum prædicaturus a-
 scendit nobis penitus inconsultis? Quis scho-
 las lecturus vel disputurus vel prædicaturus
 ingreditur, qui nostris comatibus non fulcitur
 Primum optas volumen cum Ezechiele co-

medere, qu
 secus. Et m
 extrinsecu
 vis ad cui
 homines,
 in vobis fa
 res occur
 rum negua
 brorum mu
 similiter res
 Quiscentes q
 sua tentibus
 quæ; serunt
 fices, Cardin
 rarchia eccl
 terarum scie
 mit originem
 clericali. Se
 dedimus por
 videntur pe
 nima tribu
 parum pro
 vilipensib.
 nera recitare
 n singulari
 nobis iure he
 lima In quo
 bebim quie
 tēpostūmi
 extra poros
 & aves, nun

medere, quo venter memoria dulcescat extrinsecus. Et modo sint pantheræ refertæ, redoleat extrinsecus conceptorum aromatum odor suavis ad cuius anhelitum coanhelent accedere homines, bestia & iumenta. Sic natura nostra in vobis familiaris operante latenter auditores accurrunt benivoli, sicut adamas trahit ferrum nequaquam inuite. Quinimo infinita librorum multitudo iacet Parisiis vel Athenis: similiter resonant in Britannia vel in Roma. Quiescentes quippe moventur, dum ipsis loca sua tenentibus auditorum intellectibus circumquaq; feruntur. Nos deniq; sacerdotes, Pontifices, Cardinales, & Papam ut cuncta in hierarchia ecclesiastica collocentur in ordine literarum scientia stabilimus. A libris namq; sumit originem, quidquid boni provenit statui clericali. Sed hæc hæc tenet. Piget reminisci quæ dedimus populo clericorû degeneri, quæ magis videntur perdita, quàm collata quæcunq; minima tribuuntur ingratis. Deinceps insistemus parum pro recitandis iniuriis, quas rependunt vilipensionibus, & iacturis. De quibus, nec singulæ genera recitare sufficimus, imo vix proxima genera singularû. In primis de domiciliis clericorû nobis iure hereditario debitis vi& armis expellimur. In quodâ interiori cubiculo cellulas habebamus quietas, sed proh dolor his nephandis tēporibus, penitus exulantes in properiû patimur extra portas. Occupât ei loca nostra nunc canes & aves, nunc bestia bipedalis, sc. mulier cuius

habitatio vitabatur à clericis, à qua semper super aspidem & basiliscum alumnos nostros docuimus fugiendum, quamobrè ista bestia nostris studiis sèper æmula, nullo die placanda, finaliter nos conspectos in angulo iam defunctæ araneæ sola tela protectos in rugâ fronte collecta virulentis sermonib. detrahit & substat: ac nos in tota domus suppellestili semper vacuos hospitari demonstrat, & ad unumquodq; œconomia servitiû quæritur ociosos, & mox in capitegia preciosa, syndonè, & sericum, & coccû bis unctum, vestes, & varias farraturas, lanâ & linum consulit commutandos. Et quidè merito si videret intrinseca cordis nostri: si nostris privatis interfuisset consulis: si Theophrasti vel Valerii perlegisset volumen, vel saltè Ecclesiastici viceesimum quintum capit. aurib. intellec. & audisset. Quapropter còqueimur de hospitis nobis iniuste ablatis: de vestib. nò quidè datis. sed de datis antiquitus violenter manib. laceratis, in tantum quod adhæsit pavimento anima nostra, conglutinator est in terra venter noster & gloria nostra in pulverem redacta est.

Morbis variis laboramus dorso lateraq; dolentes: iacemus membratim paralyfi dissoluti, nec est, qui cogitet, nec est, qui benigne malagma procuret. Candor natus & luce perspicuus iam in fuscum & croceum est conversus, ut nemo medicus, qui nos reperiat, dubitet ictericia nos infectos. Arteriam patiuntur nonnulli de nobis, sicut extremitates retortæ insinuant
cui-

evidenter. F
infestamur
betarunt, &
superdu
vilceris, qu
dere, cont
mus putre
cedri resin
trido clam
ciligentur
nobis innox
illos, qui sup
sed pannosi &
abissimor in
sterquimio
tur mihi est
rum. Pulvin
nendum lat
fortibus cle
latui depu
necessariis
lamitatis c
crebrius ir
nundamur
abiq; redem
lelib. subdit
imenta sin
altes mo
rum pollet ca
tur, pater

evidenter. Fluvius aut fumus ac pulvis, quib.
 infestamur assidue, radiorū visualium acie he-
 betarunt, & iā lippientib. oculis ophthalmiam
 superducunt. Ventres nostri duris torsionib.
 viscerū, quæ vermes edaces non cessant corro-
 dere, consumuntur & utriusq; lateris sustine-
 mus putredinem, nec invenitur quisquam, qui
 cedri resina nos lineat, vel quatruiduano iā pu-
 trido clamās dicat, *Lazare veni foras*. Nullo cir-
 cūligantur ligamine vulnera nostra sæva, quæ
 nobis innoxiiis inferuntur atrociter, nec est
 ullus, qui super vulnera nostra cataplasmet,
 sed pannosi & algidi in angulos tenebrosos
 abijcimus in lachrymis, vel cum sancto Iob in
 sterquilinio collocamur, vel quod nefas vide-
 tur mihi effari, in abyssis abscondimur cloaca-
 rum. Pulvinar subtrahitur Evangelicis suppo-
 nendum lateribus, quibus primo deberent de
 fortibus clericorū subsidia, & sic ad suo famu-
 latui deputandos prospere communis victus
 necessariis derivati. Rursus de alio genere ca-
 lamitatis conquerimur, quæ personis nostris
 crebrius irrodatur iniuste. Nam in servos ve-
 nundamur & ancillas, & obsides in tabernis
 absq; redemptione iacemus. In scellariis cru-
 delib. subdimur, ubi macari tam pecora, quā
 iumenta sine piis lachrymis nō videmur. Et ubi
 millesies morimur, ipso metu morimur, qui vi-
 rum posset cadere inconstāter. Judæis cōmitti-
 mur, Sarracenis, Hæreticis, & Paganis, quorū

semper toxicum formidamus, per quos nonnullos de nostris parentib. per venenum pestiferum constat esse corruptos. Sane nos, qui architectonici reputari debemus in scientiis, & subiectis nobis mechanicis imperamus, subalternorum regimini viceversa committimur, tanquam si Monarcha summe nobilis rusticanis calcaneis subternatur. Sartor & sutor & scissor quicumque aut cuiuslibet operis artifex inclusos nos custodit in carcere, pro superfluis & lascivis deliciis clericorū. Iam volumus prosequi novum genus iniuriæ, quo tam in nostris personis lædimur quam in fama, qua nihil carius possidemus. Generositati nostræ omni die detrahitur, dum per pravos compilatores, translatores, transformatores nova nobis auctoriū nomina imponuntur, & antiqua nobilitate mutata, regeneratione multiplici renascentes degeneramus omnino. Sic quod vilium vitricorum nobis nolentib. affiguntur nomina, & verorum patrū vocabula filiis subducuntur. Versus Virgillii adhuc ipso vivente quidam pseudo-versificus usurpavit, & Martialis Coci libellos Fidentinū quidā sibi mēdaciter arrogavit, quē idem Martialis merito redarguit sub his verbis:

Quæna recitas meus est, o Fidentine, libellus :

Sed male dum recitas incipit esse tuus.

Quid ergo mirum si defunctis nostris auctoribus suas per nos simbrias simiæ clericorum magnificant, cum eisdem superstitiis nos recen-

center edit
nos antiqu
tres sum
vos ad e
strorum f
nis extim
mani. Se
fuit Cadm
gillis, cras
Bononiam,
la conlang
lis scriptori
quam corrup
catis, quos
terpretes b
qui lingua
gua ad ling
proprietate
tra sensus a
generosa t
Babelonis
si totius h
sermonis sp
nostræ que
mus breviss
nobis & ei
viam, qui e
cibus sub
fabris reb
mus lumen

center editos rapere moliantur. Ah quotiens nos antiquos fingitis nuper natos, & qui patres sumus, filios nominare conamiai. Quique vos ad esse clericale creavimus, studiorum vestrorum fabricas appellatis. Revera de Athenis extitimus oriundi, qui fingimur nunc Romani. Semper namque Carmentis latruncula fuit Cadmi. Et qui nuper nascebamur in Anglia, cras Parisiis renascemur: & inde delati Bononiam, Italicam sortiemur originem nulla consanguinitate suffultam. Heu quam falsis scriptoribus nos exarandos committitis, quam corrupte nos legitis & medicando necatis, quos pio cœlo corrigere debebatis! Interpretes barbaros sustinemus multotiens, & qui linguarum idiomata nesciunt, nos de lingua ad linguam transferre præsumunt: sicque proprietate sermonis ablata, fit sententia contra sensus auctoris turpiter maculata. Bene generosa fuisset librorum conditio, si turris Babelonis nullatenus obfuisset præsumptio, si totius humani generis unica descendisset sermonis species propagata. Ultimam prolixæ nostræ querelæ, sed pro materia quam habemus brevissimæ clausulam subiungimus. In nobis & ei commutatur naturalis usus in eum usum, qui est contra naturam, dum passim pictoribus subdimur literarum ignaris, & aurifabris proh dolor commendamur nos, qui sumus lumen fidelium animarum, ut fiamus acfi

non effemus sapientiæ sacra vasa repositoria
bractearum: deuoluimur indebite in laicorum
dominium, quod est nobis amariq; omni morte
quoniam hi vendiderunt populum nostrum
sine precio, & inimici nostri iudices nostri sunt.
Liquet omnib; ex præmissis, quod infinita pos-
semus in clericos inuectiva conuitari, si non
honestati proprie parcerem; Nam miles eme-
ritus clypeum veneratur & arma, gratufq; Co-
ridon aratro tepescenti bigæ, trahæ, tribulæ ac
ligoni: & omnis artifex manualis hypoduliam
propriam suis exhibet instrumentis: solus in-
gratus clericus parvipendit, & negligit ea, per
quæ sui honoris auspicia semper sumit.

*Capitulum quintum, quod boni religiosi libros
scribunt, mali aliis occupantur.*

Religionum veneranda devotio in libro-
rum cultu solet esse sollicita, & in eorum
colloquiis sicut in omnib; diuitiis delectari.
Scribunt namq; nonnulli propriis manib; inter
horas canonicas intervallis captatis & tēpora pro
quiete corporis accommodata fabricandis codi-
cib; concesserunt. De quorum laboribus hodie
in pleriq; splendent monasteriis illa sacra ga-
zophylacii Cherubicis literis plena, ad dan-
dam scientiam salutis studentibus atque lumen
delectabile semitis laicorum. O labor manua-
lis felicior omni cura georgica! O devota sol-
licitudo, qua nec meretur Martha corrūpi nec
Maria! O domus iucunda, in qua Racheli for-
mosa

mosa Lya
platio cum
videntia
cui nulla
satio com
munitoru
esse patrum
pientia de
ras caligin
me pro vide
hi Dei pates
nec multido
simila sacre
tantq; vider
runt aut e
qui nostrā
nierūt. Hi
tores cauti
runt, ut pa
cessat flore
gregii ben
merito suis
si prolem d
in sequenti
quod dolen
uma contr
re electa p
Aduarum
tur. & macc
yus. Libell

mosæ Lya non invidet fecunda, sed contem-
 platio cum activa gaudia sua miscet. Felix pro-
 videntia pro futuro infinitis posteris valitura,
 cui nulla virgultorum plantatio, nulla seminû
 satio comparatur, nulla castrorum constructio
 munitorum. Quamobrem immortalis debet
 esse patrum illorum memoria, quos solius sa-
 pientia delectabat thesaurus. Qui contra futu-
 ras caligines, luminosas lucernas artificiosissi-
 me providerunt, & contra famem audiendi ver-
 bi Dei panes non subcinericeos, neque ordeacos,
 nec muscidos sed panes azimos de purissima
 similia sacrae sophiae confectos accuratissime pa-
 rant, quibus esurientes feliciter cibantur. Hi fue-
 runt autem probissimi pugiles Christianae militiae
 qui nostram infirmitatem armis fortissimis mu-
 nierunt. Hi fuerunt suis temporibus vulpium vena-
 tores cautissimi, qui nobis iam sua retia relin-
 quunt, ut parvulas caperemus vulpeculas, quae non
 cessant florentes vineas demoliri. Vere patres e-
 gregii benedictione perpetua recolendi, felices
 merito fuissetis, si vobis simile sobole genuissetis,
 si prolem degenerem nec æquivocam reliquissetis
 in sequentis temporis subsidium levissetis. Sed
 quod dolentes referimus. iam Therfites ignava
 arma contrectat Achillis & dextrariorum phale-
 rae electae pigritantibus afinis substernuntur.
 Aquilarum nidis caecutiētes nocturnae domina-
 tur, & in accipitris pertica refidit vecors mil-
 yus, Liber Bacchus respicitur & in ventre trahi-
 citur

citur nocte dieq; liber codex despicitur & à manu reiicitur longe lateq; , atque si cuiusdam æquivocationis multiplicitate fallatur simplex plebs moderna, dum liber potationum præponitur libro patrum, calicibus epotandis non codicibus emendandis indulget hodie: quibus lascivam Timothei musicam pudicis moribus æmulam non verentur adiungere, sicq; cantus ludentis non planctus lugentis officium efficitur monachale. Greges & vellera, fruges & horrea, porri & holera, potus & pathera, lectiones sunt hodie & studia monachorum, exceptis quibusdam paucis electis, in quibus parum præcedentium non imago, sed vestigium remanet aliquale. Rursus nulla nobis materia ministratur omnino, qua de nostro cultu vel studio commendentur hodie canonici regulares. Qui licet à geminata regula nomen portant eximium Augustini, tamen regulæ notabilem neglexere versiculum, quo sub his verbis clericis suis commendamur: *Codices certa hora singulis diebus petantur: extra horam qui petierit non accipiet.* Hunc devotum studii canonem vix observat aliquis post ecclesiastica cantica repetita, sed sapere quæ sunt seculi & relictum aratrum intueri summa prudentia reputatur. Tollunt pharetram & arcum apprehendunt arma & scutum, eleemosynarum tributum canibus tribuunt, non egenis, inserviunt aleis & taxil-

taxillis, &
solebamur
non digne
moribus
patrum
& librorum
studio, si
gio, & sim
arecat,
lumen mu

Capitulum
cantu

Pluperes
perip
& homin
penuriam
strascitis
vos ultrix
verla foru
oppressit
cio Christ
prædicavit
tes novi fecer
substituti di
sonus veter
doctrinis cu
magis in
ro hunc pat

taxillis, & his, quæ nos secularibus inhibere solebamus. Ut non quidem miremur, si nos non dignentur respicere, quos sic suis cernunt moribus contrarie. Patres igitur reverendi patrum vestrarum dignemini vos reminisci & librorum sacrorum propensius indulgere studio, sine quibus qualibet vacillabit religio, & sine quibus (ut testa) virtus devotionis arescat, sine quibus nullum præberi poterit lumen mundo.

Capitulum sextum, de laude religiosorum mendicantium priorum, cum reprehensione modernorum.

PAUPERES spiritu, sed fide ditissimi, mundi peripsum & sal terræ, seculi contemptores & hominum piscatores, quàm beati estis, si penuriam patientes pro Christo animas vestras scitis in patientia possidere. Non enim vos ultrix iniquitatis inopia, nec parentû adversa fortuna, nec ulla violenta necessitas sic oppressit inedia, sed devota voluntas & electio Christi formis, qua vitam illam optimam prædicavit. Sane vos estis semper post parentes novi fœtus, pro patrib. & prophetis noviter substituti divinitus, ut in omnem terram exeat sonus vester, ut nostris salutaribus instituti doctrinis cunctis regibus & gentibus, promulgetis inexpugnabilem fidem Christi. Porro fidem patrum potissime libris esse inclusam
secun-

secundum capitulum supra satis asseruit, quo constat luce clarius, quod librorum debetis esse zelotypi, qui præ cæteris Christianis seminare iubemini super omnes aquas, quia non est personarum acceptor altissimus, nec vult mortem peccatorum piissimus, qui occidi voluit pro eisdem: sed contritos corde mederi desiderat atque lapsos erigi & perversos corrigi spiritu lenitatis. Ad quem effectum saluberrimum alma mater Ecclesia vos plantavit gratuitos, plantatosque rigavit favoribus, & rigatos privilegiis suffulcivit, ut cum pastoribus & curatis coadiutores essetis ad procurandum salutem fidelium animarum. Unde & Prædicatorum ordinem propter sacræ scripturæ studium & proximorum salutem principaliter institutum constitutiones pronunciant eorundem, ut non solum ex regula Præsulis Augustini, qui codices singulis diebus iubet esse petendos; verum mox cum earundem constitutionum prologum legerint, ex ipsius libri capite ad amorem librorum se noverint obligatos. Sed proh dolor quod tam hos quam alios istorum sectantes effigiem à paterna cura librorum & studio subtraxit triplex cura superflua, ventris videlicet, vestium & domorum. Sunt enim (neglecta salvatoris providentia, quem Psalmista circa pauperem & mendicum promittit esse sollicitum) circa labentis corporis indigentias occupati, ut sint epulæ splendide vestef-

vestef; co
 edificior
 cula tali
 venit
 semper
 potentes
 elongati
 cua repu
 ternis pa
 & apocry
 refocillat
 ad pruritu
 ra non expo
 mudo, divul
 bias pauci
 est profun
 tumcunq
 dio neque
 Augustini
 sententias
 due: si ta
 condidit
 tate polle
 torum int
 paupertati
 post utrum
 mentis ing
 pure labor
 golumini
 à iustitien

vestesq; contra regulam delicatæ: necnon & ædificiorum fabricæ ut castrorum propugnacula tali proceritate quæ paupertati non convenit exaltatæ. Propter hæc tria nos libri, qui semper eos proveximus ad perfectum, & inter potentes & nobiles sedes honoris concessimus, elongati à cordis affectib. quasi inter supervacua reputamur: excepto quod quibusdâ quaternis parvi valoris insistent, de quib. venias & apocrypha deliramenta producant, non ad refocillativum animorum edulium, sed potius ad pruritus aurium auditorum. Sacra scriptura non exponitur, quasi trita per vicos & omnib. divulgata supponitur, cuius tamen simbras paucissimi tetigerunt, cuius etiam tanta est profunditas, ut ab humano intellectu quantumcunq; vigilet summo ocio & maximo studio nequeat comprehendi, sicut sanctus asserit Augustinus. De hac mille moralis disciplinæ sententias enucleare poterit, qui indulget assidue: si tamen ostium aperire dignetur ille, qui condidit spū pietatis, quæ & recentissima novitate pollebunt & sapientissima suavitate auditorum intelligentias removebunt. Quamobrē paupertatis evangelicæ Professores primarii post utrumq; salutatas scientias seculares tota mentis ingenio recollecto huius se sacræ scripturæ laboribus devenerunt nocte dieq; in lege domini meditantes. Quicquid vero poterat à famescente ventri furari vel corpori semite-

ctō

Et surripere illud lucrum præcipuum arbitran-
 tes codicibus ascripserunt. Quorum con-
 temporanei seculares tam officium intuentes
 quam studiū libros eos; quos in diversis hinc
 inde mundi partib; sumptuose collegerant, ad
 totius ecclesiæ ædificationem contulerunt. Sa-
 ne dieb; istis cū sint tota diligentia circa quæ-
 stus intenti, præsumptione probabili credi po-
 test, si per Antropospathos sermo fiat, Deum
 circa eos minorem sollicitudinem gerere, quos
 de sua promissione perpendit diffidere in hu-
 manis providentiis spem habentes, corvum nō
 considerantes nec lilia, quos pascit & vestit
 altissimus. Daniele & Abacuc cocti pulmen-
 ti discophorum non pensatis, nec Heliam re-
 colitis nunc in deserto per Angelos, nunc in
 torrente per corvos, nunc in Sarepta per vidu-
 am, largitate divina, quæ dat escam omni car-
 ni tempore opportuno, à famis inedia libera-
 tum. Climate miserabili (ut timeatur) descendi-
 tis, dum divinæ pietatis diffidentia prudentiæ
 sollicitudinem generat terrenorum. Sollicitu-
 do quoque nimia terrenorum amorem adi-
 mit tam librorum quam studiorum; & sic ce-
 dit paupertas hodie per abusum in verbi Dei
 dispendium, quam solum propter ipsius ad-
 miniculum elegistis: uncinis pomorum, ut po-
 pulus fabulatur, puerulos ad religionem at-
 trahitis, quos professos doctrinis non instrui-
 tis: vi & metu, sicut exigit aetas illa, mendicati-
 vis

vis disci-
 pus; in q
 voribus
 feriant
 dinis de
 quod q
 grandio
 penitus
 pio max
 vello pr
 do plurim
 tionis offic
 to minus ea
 temptum te
 animatum
 aratis, cu
 dominici
 Dei
 discretore
 auditum
 Quot lap
 diebus?
 curatis?
 fix muros
 ertes solis
 emperice
 nodatis,
 huda reci
 cibus rep
 Quendam

vis discursibus sustinetis intendere, atq; tempus in quo possent addiscere, in captandis favoribus amicorum consumere finitis in offensam parentum, puerorum periculum & ordinis detrimentum. Sicq; nimirum contingit, quod qui parvuli minime cogebantur inviti, grandiores effecti docere præsumant indigni penitus & indocti, & parvus error in principio maximus fit in fine. Est sic namq; in grege vestro promiscuo laicorum quædam multitudo plurimis onerosa; qui tamen se ad prædicationis officium tanto improbius ingerunt, quanto minus ea quæ loquuntur, intelligunt in contemptum sermonis domini & in perniciem animarum. Sane contra legem in bove & asino aratis, cum doctis & indoctis culturam agri dominici committitis pari passu. Scriptum est; *Boves arabarum & asine pascebantur iuxta eos.* Quam discretorum est prædicare, simplicium vero per auditum sacri eloquii sub silentio se cibare. Quot lapides mittitis in acervum Mercurii his diebus? quot eunuchis sapientiæ nuptias procuratis? quot cecos speculatores super ecclesiæ muros circuire præcipitis? O piscatores inertes solis retibus alienis utentes, qui rupta vix emperice reficitis: nova vero nullatenus commodatis, aliorum labores intratis, aliorum studia recitatis, aliorum sapientiam superficialiter repetitis, theatri strepitu labiatis. Quemadmodum psitacus idiota auditas vo-

ces effigiat, sic tales recitatores fiunt omnium, sed nullius auditores, a sinam Balaam imitantes, quæ licet intrinsecus insensata, lingua tamen diserta facta est tam Domini quam propheta magistra. Respicite pauperes Christi, & nos libros inspiciate studiose, sine quibus in præparatione evangelii pacis nunquam poteritis debite calciari. Paulus Apostolus prædicator veritatis & doctor eximius gentium ista sibi per Timotheum pro omni suppellectilia iussit afferri, penulam, libros & membranas, secunda Timothei ultimo: viris evangelicis formam præbens, ut habitum deferant ordinatum, libros habeant ad studendi subsidium, & membranas, quas Apostolus maxime ponderat ad scribendum. *Maxime, inquit, & membranas.* Revera mancus est clericus & ad multarum rerum iacturam turpiter quidem mutilatus, qui artis scribendi totaliter est ignarus. Aerem vocibus verberat, & præsentem tantum ædificat, absentibus & posteris nihil parat. Atramentarium scriptoris gestabat vir in renibus, qui frontes gementium tau signabat. Ezechielis nono: insinuans figurate, quia si quis scribendi peritia careat prædicandi poenitentiam officium non præsumat. Tandem in presentis calce capituli supplicent vobis libri, iuvenes nescios ingenio aptos studiis applicare necessaria ministrantes, quos non solummodo veritatem, verum, &

& discip
ribus t
mun
tici mo
fiant. I
terfam
penitus
villico
diam ha
bis libris d

Capitulum

Pacis a
gentes
pestilenti
rentia ra
petus in
ne non u
progressa
dens Apoll
nensis pariet
nensis redigi
Vagus sta
culus Me
pruon erro
de Piteles
primuntur

& disciplinam & sententiam doceatis, verbis terreatis, atrahatis blanditiis, molliatis munusculis & pœnosis rigoribus, ut & Socratici moribus & doctrinis Peripatetici simulant. Heri quasi undecima vos discretus paterfamilias introduxit in vineam, ante sero penitus pigeat ociari. Utinam cum prudenti villico mendicandi tam improbe verecundiam haberetis. Tunc enim procul dubio nobis libris & studio propensius vacaretis.

*Capitulum VII. deploratio destructionis
librorum per bella & incendia.*

PAcis auctor & amator altissime dissipantes bella volentes, quæ super omnes pestilentias libris nocent. Bella namque carentia rationis iudicio furiosos efficiunt impetus in adversa: & dum rationis moderamine non utuntur sine differentia discretionis progressa, vasa destruunt rationis. Tunc prudens Apollo Plutoni subiicitur: & tunc Phronesis pariens mater fit Phrenesis, & in Phrenesis redigitur potestatem. Tunc pennatus Pegasus stabulo Coridonis includitur, & facundus Mercurius suffocatur. Tunc Pallas prudens erroris mucrone tunditur, & iocunde Pierides truculenta furoris tyrannide supprimuntur. O crudele spectaculum ubi

Phœbum Philosophorum Aristotelem, cui omnibus dominii dominus ipse commisit dominium scelerosis manibus vinculatum, feramentis infamib. compeditum lanistrarum humeris à Socratis ædibus cernitur asportari, & qui in mundi magistratu magisterium atq; super Imperatorem imperium meruit obtinere, iniustissimo iure belli videres subiici vili scurræ. O potestas iniquissima tenebrarû, quæ Platonis non veretur pessundare divinitatem, probatam, qui solus aspectu creatoris priusquam bellantis chaos placaret litigium, & antequam entelechiam induisset species ideales obücere dignus fuit, ut mundum archetypum demonstraret auctori & de superno exemplo mûdus sensibilis duceretur. O lacrimosus intuitus quo moralis Socrates, cuius actus virtus & sermo doctrina, qui de naturæ principiis politix produxit iustitiam vitiosi vispilionis addictus videtur servituti. Pythagoram plangimus Armonix parentem eum cantricibus furis flagellatum atrociter vice cantus gemitus edere columbinos. Miseremur Zenonis principis stoicorum, qui ne consilium proderet, linguam morfu secuit & expuit in tyrannum. intrepide. Heu iam rursus Adimeritritus in mortario pistillatur. Certe non sufficimus singulos libros luctu lamentari condigno, qui in diversis mundi partibus bellorum discrimine perierunt. Horribilem tamen stragem,

gem, quæ
Alexand
memora
ignibus
lomis
colle
Attica
proles
orbium
tarum,
gnostica
lo sunt
tam in
incalium
candentes
verban
quorum
flamma
ritatis
tem cin
altima
victima
latur,
perisse
collo
iam fec
Arcan
homine
vinitus
gemant

gem, quæ per auxiliares milites secundo bello Alexandrino contigit in Ægypto stilo flebili memoramus, ubi decem milia voluminum ignibus conflagrarunt, quæ sub Regibus Ptolomeis per multa curricula temporum sunt collecta, sicut recitat Aulus Gellius notium Atticarum libro sexto capitulo xvi. quanta proles Atlantica tunc occubuisse putabitur orbium motus, omnes coniunctiones planetarum, galaxiæ naturam, & generationes prognosticas cometarum, & quæcunque in cælo sunt vel æthere comprehendentes? Quis tam infaustum holocaustum, ubi loco cruoris incaustum offertur, non exhorreat? Pruina candentes pergameni crepitantis sanguine vernabantur, ubi tot innocentium milia, in quorum ore non est inventum mendacium, flamma vorax consumpsit: ubi tot scrinia veritatis æternæ ignis parcere nesciens in scentem cinerem commutavit, Minoris facinoris æstimatur tam lepta quam Agememnonis victima, ubi pia filia virgo, patris gloria, iugulatur. Quot labores celebris Hercules tunc perisse putamus, qui ob astronomiæ peritiam collo flexo cælum describitur sustulisse, cum iam secundo Hercules flammis sit iniectus. Arcana cælorum, quæ Ionachus non ab homine neque per hominem didicit, sed divinitus inspiratus accepit; quæque Zoroastes germanus eiusdem immundorum servitor,

spirituum deseruit; quæ etiam sacratuſ En-
neck Prothi præfectuſ, priuſquam transferre-
tur de ſeculo, prophetavit; immo quæque pri-
muſ Adam filioſ docuit, ut raptuſ in extaſi in
libro æternitatis præviderat, flammiſ illiſ ne-
phandiſ probabiliter æſtimantur eſſe deſtru-
cta. Ægyptioꝝ religio, quam liber Logo-
ſtaliuſiæ commendat egregie polioſ veterum
Athenarum: quæ cum milibuſ annorum A-
theniſ Græciæ præceſſerunt carmina, Caldeoꝝ
conſiderationeſ, Arabum & Indorum
cerimoniarum Iudæoꝝ architecta, Babylonioꝝ
noe georgica, Moysi præſagia, Ioſuæ pla-
nimetria, Samſoniſ ænigmata, Salomonis pro-
blemata à cedro Libani uſque ad hyſopum
planiffime diſputata, Æſculapii antidota,
Cadmii grammatica, Parnafi poemata, Apol-
liniſ oracula, argonautica Iaſoniſ, ſtrategemata
Palamedis, & alia infinita ſcientiarum
ſecreta huiuſmodi incendiis creduntur ſub-
lata. Nunquid Ariſtotelem de circuli qua-
dratura ſyllogiſmuſ apodiſcticuſ latuiſſet, ſi
libroſ veterum methodoſ naturæ totiuſ habentium
permiſiſſent nephanda prælia ſuper-
eſſe.

Nec de mundi æternitate problema neu-
trum feciſſet: nec de intellectuū huma-
noꝝ pluralitate eorumque perpetuitate,
ut veriſſimiliter creditur, dubitaſſet ullatenuſ,
ſi perfecte ſcientiarum veterum inuſoꝝ bello-
rum

rum preſſi
la. Nam
mur, ob
ter muſ
ſubmerg
neciſ ger
noſtri et
ni Carth
ciſ & am
milium
hæ luce tra
Tullio iam
rum late
Theodoric
mundi clim
ſunt diſper
roniſ ma
mortiſ a
chryma
deberem
rum tra
Xerxeſ ſi
ſiſ in At
dium gra
cernereſ
obviare
reſenti
ſignatiſ
trouata
gatuſ

rura pressuris obnoxia non fuissent per bella. Namque ad patrias peregrinas dissipamur, obruncamur, vulneramur, & enormiter mutilamur, sub terra fodimur, in mari submergimur, flammis exurimur, & omni necis genere trucidamur. Quantum sanguinis nostri effudit Scipio bellicosus cum everfioni Carthaginiis Romani imperii impugnatricis & æmulæ anxius incumbabat? Quot milia milium prælium decennale Troianum ab hac luce transmisit? Quot per Antonium, Tullio iam occiso, externarum provinciarum latebras adierunt? Quot de nobis per Theodoricum, exulante Boetio in diversis mundi climata, sicut oves percusso pastore, sunt dispersi? Quot Seneca succumbente Neronis malitiæ, cum & nolens & volens portas mortis adiret, ab eo divisi retrocessimus lachrymantes, & in quibus partibus hospitari deberemus ignorantes. Felix fuit illa librorum translatio, quam in Persas de Athenis Xerxes fecisse describitur, quos rursus de Persis in Athenas Seleuchus reduxit. O gaudium gratiosum, ò mira lætitia, quam tunc cerneres in Athenis cum proli suæ genetricis obviaret tripudians, matrisque thalamum senescenti iam soboli denuo demonstraret, reassignatis hospitibus veteribus inquilinis. Mox tabulata cedrina cum lignis & trabibus levigatis aptissime complanantur, auro & ebore

epigrammata designantur camerulis, quibus ipsa volumina reverenter illata suavissime collocantur, sicut nullum alterius ingressum impediat, vel propinquitate nimia fratrem suum lædat. Cæterum quidem infinita sunt dispendia, quæ per seditiones bellorum, librorum generi sunt illata. Et quoniam quidem infinita nullatenus transgredi atq; pertransire contingit, hic familiariter statuemus querimoniam nostræ Gades & ad preces, quibus incepimus, regyramus habenas, rogantes suppliciter, ut rector Olympi ac mundi totius dispensator altissimus firmet pacem & bella removeat, ac tempora faciat sua protectione tranquilla.

Capitulum octavum de multiplici oportunitate auctoris in colligendis libris circumquaque.

Cum omni negotio tempus sit & oportunitas, ut testatur Ecclesiastes VIII, cap. iam progredimur enarrare multiplices oportunitates, quibus in acquisitione librorum proposita divinitate propitia iuvabamur. quamvis enim ab adolescentia nostra semper specialem socialemq; communionem cum viris literatis & librorum dilectoribus delectaremur habere, succedentibus prosperis Regiæ Maiestatis consecuti notitiam, & in ipsius acceptati familia facultatem suscepimus amplioré ubiliter

bet visitan
quodam
commun
librari
semper m
Eduardi
pora con
& tranqu
tibus cur
cancellari
officiis, pr
galis favor
bere pericr
ma volatilis
librorum &
piditate la
nostrum p
curiam a
supra dict
nitatis fut
proficere
bus quar
rum & m
calium co
ces nostris
preciosi,
rum aperi
ria & cisu
in implicat
que autem

bet visitandi pro libitu, & venandi quasi saltus quosdam delicatissimos, tum privatas, tum communes, tum regularium, tum secularium librarías. Sane dum invictissimi Principis ac semper magnifice triumphantis Regis Angliæ Eduarditertii post conquestum, cuius tempora conservare dignetur altissimus diutine, & tranquille; primo quidem suam concernentibus curam; deinde rempublicam regni sui, cancellarii scilicet ac thesaurarii, fungeremur officiis, præstabatur nobis aditus facilis Regalis favoris intuitu ad librorum latebras libere perscrutandas, Amoris quippe nostri fama volatilis iam ubique percrebuit, tantumq; librorum & maxime veterum ferebamur cupiditate languescere: posse vero quemlibet nostrum perquaternos facilius quam per pecuniam adipisci favorem: quamobrem cum supra dicti Principis recolendæ memoriæ bonitatis suffulti possemus obesse & prodesse, proficere & officere vehementer tam maioribus quàm pusillis, affluerunt loco encæniorum & munerum, locoque donorum & iocalium cœnulenti quaterni ac decrepiti codices nostris tam aspectibus quàm affectibus preciosi. Tunc nobilissimorum monasteriorum aperiebantur armaria, referabantur scrinia & cistulæ solvebantur, & per longa secula in sepulchris soporata volumina expergiscuntur atomata, quæque in locis tenebrosis la-

tuerunt novæ lucis radiis perfunduntur. Delicatissimi quondam libri corrupti & abominabiles iam effecti murium quidem foetibus cooperti, & vermium moribus terebrati iacebant exanimés. Et qui olim purpura vestiebantur & bysso, nunc in cinere & cilicio recubantes oblivioni traditi videbantur domicilia tinearum. Infer hæc nihilominus captatis temporibus magis voluptuose concedimus quam fecisset medicus delicatus inter aromatatum apothecas, ubi amoris obiectum reperimus & fomentum. Sic sacra vasa scientiæ ad nostræ dispensationis pervenerunt arbitrium, quædam data, quædam vendita, ac nonnulla pro tempore accommodata, nimirum cum nos plerique de huiusmodi donariis cernerent contentatos ea sponte nostris usibus studuerunt tribuere, quibus ipsi libentius caruerunt, quàm ea, quæ nostris assistentes servitiis abstulerunt. Quorum tamen negocia sic expedire curavimus gratiose, ut eisdem emolumentum accresceret, nullum tamen iniusticia detrimentum sentiret. Porro si ciphos aureos & argenteos, si equos egregios, si nummorum summas non modicas amassemus, tunc temporis dives nobis ærarium instaurasse potuissimus. Sed revera libros non libras maluimus, codicesque plus dileximus, quàm florenos, ac panfletos exiguos phaleratis prætulimus paleædis. Adhuc eius Principis sempiternæ me-

morla legati
tiplicia reg
mam, nunc
di diversa
periculosis
ferentes ta
nequierun
Hæc enim
quædam p
perplexas
rum anfract
labyrinthos
penem auræ
Deorum in Sy
voluptatis la
paradisiu
mus morate
prez amor
bibliotheca
redolentes
forum vol
ca terræ m
pateticorum
dioris, & p
tam artis q
fiteles,
pium in
tata transm
mau epicyp
genzabat

moria legationibus crebris functi, & ob mul-
 tiplicia regni negocia, nunc ad sedem Ro-
 mam, nunc ad curiam Franciæ nunc ad man-
 di diversa dominia tædiofis ambassiatibus &
 periculosis temporibus mittebamur, circum-
 ferentes tamen illam, quam aquæ plurimæ
 nequierunt extingvere, charitatem librorum.
 Hæc enim peregrinationum absynthia quasi
 quædam pigmenta dulcoravit. Hæc post
 perplexas intricaciones, & scrupulosos causa-
 rum anfractus, & vix egressibiles reipublicæ
 labyrinthos ad respirandum parumper tem-
 periem auræ lenis aperiant. O beate Deus
 Deorum in Syon quantus fluminis impetus
 voluptatis lætificavit cor nostrum quotiens
 paradisum mundi Parisius visitare vacavi-
 mus moraturi: ubi nobis semper dies pauci
 præ amoris magnitudine videbantur. Ibi
 bibliothecæ iocundæ super cellas aromatum
 redolentes: ibi virens viridarium univer-
 forum voluminum: ibi prata Achademi-
 ca terræ motu trementia Athenarum, Peri-
 pateticorum diverticula Parnasi promun-
 ctoria, & porticus Stoicorum: ibi cernitur
 tam artis quàm scientiæ mensurator Ari-
 stoteles, cuius est totum quod est op-
 timum in doctrinis, in regione dum-
 taxat transmutabili sublunari: ibi Ptholo-
 mæus epicyclos & ecentricos aoges, atque
 genzachar planetarum figuris & numeris
 eme-

emetitur : ibi Paulus arcana revelat : ibi Dionysius hierarchias coordinat & distinguit : ibi quicquid Cadmus grammaticæ recollectit & Phœnices, totum virgo Carmentis caractere repræsentat Latino : ibi revera thesauris apertis & sacculorum corrigiis resolutis pecuniam lato corde disperimus, atq; libros, impreciables luto redemimus & arena. Nequaquam malum est, insonuit omnis emptor. Sed ecce quam bonum & quam iocundum, arma clericalis militiæ congregare in unum, ut suppetat nobis, unde hæreticorum bella contere-re, si insurgant. Amplius opportunitatem maximam nos captasse cognoscimus per hoc, quod ab ætate tenera magistrorum & scholarium ac diversarum artium professores, quos ingenii perspicacitas ac doctrinæ celebritas clariores effecerant, relegato quolibet partiali favore, exquisitissima sollicitudine nostræ comitivæ coniunximus : quorum consolativis colloquiis confortati, nunc argumentorum ostensivis investigationibus, nunc physicorum processuum ac catholicorum doctorum tractatum recitationibus velut multiplicatis & alternatis ingenii serculis, dulcius fovebamur. Tales in nostro tyrocynio commilitones elegimus; tales in thalamo collaterales habuimus; tales in itinere comites; tales in hospitio commensales; & tales penitus in omni fortuna sodales. Verum quia nulla
feli-

felicitas di-
nonmanqu
tia corp
clesiasticæ
iustitia de
incumber
nostris co
sus comp
mus, per q
brorum tan
ma multitu
pertatem sul
ingnantes
terrarum in
simus mar
inperlon
lectosq;
fovimus
Qvov
res com
quadam
optasse.
Istis in
um, istis r
tum. Qu
peculiarit
& um op
circumst
petebat
farum p

felicitas diu durare permittitur, privabamur nonnunquam luminum aliquorum præsentia corporali, cum eisdem promotiones ecclesiasticæ ac dignitates debitæ prospiciente iustitia de cælo provenerunt. Quo fiebat, ut incumbentes sicut oportuit curæ propriæ se à nostris cogentur obsequiis absentare. Rursus compendiosissimam semitam subiungemus, per quam ad manus nostras pervenit librorum tam veterum quàm novorum plurima multitudo. Religiosorum siquidem paupertatem susceptam pro Christo numquam indignantes horruimus: verum ipsos ubique terrarum in nostræ compassionis ulnas admissimus mansuetas, affabilitate familiarissima, in personæ nostræ devotionem alleximus, allectosq; beneficiorum liberalitate munificavimus propter Deum.

Quorum sic eramus omnium benefactores communes, ut nihilominus videremur, quadam paternitatis proprietate singulos adoptasse.

Istis in statu quolibet facti sumus refugium, istis nunquam clausimus gratiæ nostræ sinum. Quamobrem istos votorum nostrorum peculiarissimos zelatores meruimus habere, & tam opere quàm opera permotores. Qui circumeuntes mare & aridam, orbis ambitum perlustrantes, universitatum quoque diversarum provinciarum generalia studia per-

scru-

scrutantes, nostris desideriis militare studebant, certissima spe mercedis. Quis inter tot argutissimos venatores lepusculus delitesceret? quis pisciculus istorum nunc hamos, nunc retia, nunc sagenas evaderet? A corpore legis divinæ usq; ad quaternum sophismatum externorum nihil istos præterire potuit scrutatores. Si in fonte fidei christianæ curia sacrosancta Romana sermo devotus insonuit, vel si pro novis causis quæstio ventilabatur extranea; si Parisiensis soliditas, quæ plus antiquitati discendæ, quàm veritati subtiliter producendæ iam studet; si Anglicana perspicacitas, quæ antiquis perfusa luminaribus novos semper radios veritatis emittit, quicquam ad augmentum scientiæ vel declarationem fidei promulgavit, hoc statim nostris recens infundebatur auribus, nullo denigratum semiverbio, nulla nugacitate corruptum, sed de prælo purissimi torcularis in nostræ memoriæ dolia deferendum transibat. Cum vero nos ad civitates & loca contingeret declinare, ubi præfati pauperes conventus habebant, eorum armaria ac quæcunque librorum repositoria visitare non piguit: imo ibi in altissima paupertate, altissimas divitias thesaurizadas invenimus: non solum in eorum sarcinulis & sportellis micæ de mensa dominorum cadentes reperimus pro catellis, verum etiam panes propositionis absq; sermento, panemq; angelo-

lorum om
tem imo l
tamq; Eg
ma, qu
sunt form
se, & ape
cellas m
gitandun
gento &
ecclesiæ d

Hi prude
rale ac ratio
ss efficiunt
pelleque
bus eccle
gatur. Hi
turantes,
tes, & fl
Sylaram
tas hono
cet, hi su
gressi don
bri sexto
plus tamen
rum libror
comes re
velinga
dicatione
Christiopi

Iorum omne in se delectamentum habent: imo horrea Ioseph plena frumentis, totamq; Ægypti suppellectilem atq; dona ditissima, quæ regina Saba detulit Salomoni. Hi sunt formicæ continuè congregantes in messe, & apes argumentosæ fabricantes iugiter cellas mellis. Hi successores Bezeleel ad excogitandum quicquid fabre fieri poterit in argento & auro & gemmis, quibus templum ecclesiæ decoretur.

Hi prudentis polymitarii, qui super humerale ac rationale Pontificis, sed & vestes varias efficiunt sacerdotum. Hi cortinas, saga, pellesq; arietum rubricatas refarciunt, quibus ecclesiæ militantis tabernaculum contegatur. Hi sunt agricolæ seminantes, boves triturantes, tubæ buccinantes, pleiades emicantes, & stellæ manentes in ordine suo, quæ Syfaram expugnare non cessant. Et ut veritas honoretur salvo iudicio cuiuscunque licet, hi super hora undecima vineam sint ingressi dominicam, sicut amantissimi nobis libri sexto capitulo supra anxius allegabant, plus tamen in hac hora brevissima sacratorum librorum adiecerunt propagini, quam omnes residui vinitores, Pauli sectantes vestigia, qui vocatione novissimus prædicatione primus multo latius evangelium Christi sparsit. De istis ad statum Pontificalem

lem assumpti nonnullos habuimus de duobus ordinibus, Prædicatorum videlicet & Minorum nostris assistentes lateribus, nostræ quod familiæ commensales, viros utique tam moribus quàm litteris insignitos: qui diversorum voluminum correctionibus, expositionibus, tabulationibus, ac compilationibus, indefessis studiis incumbabant. Sane quamuis omnium religiosorum communicatione multiplici, plurimorum operum copiam tam novorum quàm veterum assecuti fuerimus, Prædicatores tamen extollimus merito speciali præconio in hac parte, quod eos præ cunctis religiosis suorum sine invidia gratissimæ communicationis invenimus, ac divina quadam liberalitate perfusos, sapientiæ luminosæ probavimus non avaros sed idoneos professores. Præter has oportunitates omnes præ tactas, stationariorum ac librariorum notitiã non solum intra natalis soli provinciam, sed per regnum Franciæ, Teutoniæ & Italiæ, comparavimus dispersorum faciliter pecunia prævolante: nec eos ullatenus impedivit distantia, neque furor maris absterruit, nec eis æs pro expensa defecit, quin ad nos optatos libros transmitterent vel afferrent. Sciebant enim pro certo, quod ipse eorum in sinu nostro reposita defraudari non poterat, sed restabat apud nos copiosa redemptio cum usuris. Deniq; nec rectores scolarium, ruralium, puero,

puerorumq; rudium pædagogos, nostra neglectit communis singulorum captatrix amoris: sed potius cum vacaret eorum hortulos & agellos ingressi, flores superficietenus redolentes collegimus, ac radices effodimus, obsolescas, studiosis tamen accomodas. & quæ possent, digesta barbarie raucida, pectorales arterias eloquentiæ munere medicare, inter huiusmodi pleraq; comperimus renovari dignissima, quæ sollerter eliminata, turpi larva vetustatis deposita, merebantur venustis vultibus denuo reformari. Quæ nos adhibita necessariorum sufficientia, in futuræ resurrectionis exemplum resuscitata, quodammodo reddivivæ reddidimus sospitati. Cæterum apud nos in nostris atris multitudo non modica, semper erat antiquariorum, scriptorum, colligatorum, correctorum, illuminatorum, & generaliter omnium qui poterant librorum servitiis utiliter insudare. Postremo omnis utriusque sexus, omnisque status vel dignitatis conditio, cuius erat cum libris aliquale commercium, cordis nostri ianuas, pulsu poterat aperire facillimo, & in nostro gremio commodosum reperire cubile. Sic omnes admisimus codices afferentes, ut nec præcedentum multitudo fastidium posteriorum efficeret, vel hesternum beneficium præcollatum, præiudicium pareret hodierno. Quapropter cum omnibus memoratis personis quasi quibus-

dam adamantibus attractivis librorum iugiter uteremur, fiebat ad nos desideratus accessus vasorum scientiæ, & multifarius volatus voluminum optimorum. Et hoc est, quod præsentî capitulo sumpsimus enarrare.

*Capitulum nonum, quod antiqui studentes
præcedunt modernos fervore
discendi.*

Licet nostris desideriis novitas modernorum numquam fuerit onerosa, qui vacantibus studiis, ac primorum patrum sententiis quicquam vel subtiliter vel utiliter adicientes grata semper affectione colimus, antiquorum tamen examinatos labores, securiori cupiditate cupivimus perscrutari. Sive enim naturaliter viguerunt perspicaciori mentis ingenio, sive instantiori studio forsitan indulserunt, sive utriusque suffulti subsidio profecerunt, hoc unum comperimus evidentè, quod vix sufficiunt successores priorum comperta discutere, atque ea per doctrinæ captare compendium, quæ antiqui anfractuosis adventionibus effoderunt. Sicut enim corporis probitate præstantiores legimus præcessisse, quam moderna tempora exhibere noscantur, ita luculentioribus sensibus præfulsisse plerosque opinari nullatenus est absurdum, cum utrosq; opera, quæ fecerunt, inattingibiles posteris æque præbent. Unde Focas in prolo-

logo grammaticæ suæ scribit:

*Omnia cum veterum sint explorata libellis,
Multa loqui breviter sit novitatis opus.*

Nempe si de feruore discendi ac diligentia studii fiat sermo. Illi philosophiæ vitam totam integre devoverunt: nostri vero seculi contemporanei paucos annos fervidæ iuventutis æstuantes vicissim incendiis viciorum seigniter applicant, & cum sedatis passionibus discernendæ ambiguae veritatis acumen attingerint, externis implicati negotiis retrocedunt, & philosophiæ gymnasiis valedicunt. Mustum fumosum iuvenilis ingenii philosophiæ difficultati delibant, vinumque maturius defecatum œconomica sollicitudini largiuntur. Amplius sicut Ovidius primo de vetula merito lamentatur:

*Omnes declinant ad ea que lucra ministrant
Utq; sciant discunt pauci, plures ut abundet.*

Sic te prostituunt, ô virgo scientia, sic te venalem faciunt castis amplexibus aptam, non te propter te quærentes, sed lucra per te, ditariq; volunt potius quàm philosophari. Et intra sic;

—— *Philosophia*

Exilium patitur, & philopeccunia regnat:
quam constat esse violentissimum toxicum, disciplinæ. Qualiter vero non alium terminum studio posuerunt antiqui quàm vitæ, declarat Valerius ad Tyberium libro viii. cap. vii. per exempla multorû. *Carneades, inquit, laboriosus*

*ac diutius scientiæ miles fuit. Siquidem expletis
 sc. annis idem illi vivendi ac philosophandi finis
 fuit. Et Socrates nonagesimo quarto agens nobilif-
 simum librum, Sophocles prope centesimum annū
 agens Oedipodem, i.e. librum de gestis Oedipo-
 dis scripsit: Simonides octogesimo anno carmina
 scripsit. Aulus Gellius non affectavit diutius
 vivere, quàm esset idoneus ad scribendum, te-
 ste se ipso in prologo noctium Atticarum. Fer-
 vorem vero studii, quem habebat Euclides So-
 craticus recitare solebat Taurus philosophus,
 ut iuvenes ad studium animaret, sicut refert
 Aulus Gellius sexto libro capitulo x. voluminis
 memorati. Athenienses namq; cum Mega-
 renses adirent, decreverunt quod si quis de
 Megarensibus Athenas intraret, capite ple-
 cteretur. Tunc Euclides, qui megarensis erat,
 & ante illud decretum Socratem audierat,
 muliebri ornamento contactus de nocte ad
 Socratem, ut eum audiret, ibat de Megaris ad
 Athenas viginti milia passuum & redibat. Im-
 pudens & nimius fuit fervor Archimedis, qui
 geometricæ facultatis amator nomen edicere
 noluit, nec à figura protracta caput erigere,
 quo vitæ mortalis fatum prolongasset: sed in-
 dulgens studio plus quam vitæ, studiosam fi-
 guram vitali sanguine cruentavit? qua pluri-
 ma huiusmodi nostri propositi sunt exempla,
 nec ea quidem transcurrere brevitatis affectata
 permittit. Sed quod dolentes referimus, iter
 pror-*

prorsus diversum incedunt clerici celebres his diebus. Ambitione siquidem in ætate tenera laborantes, ac præsumptionis pennas Icaræas ineptis & in expertis lacertis fragiliter coaptantes pilleum magistralem immaturi præripiunt, fiuntq; pueruli facultatum plurium professores immeriti, quas nequaquam pedetentim pertranseunt, sed ad instar caprearum saltarim ascendunt. Cumq; parum de grandi torrente gustaverint, arbitrantur se totum funditus sorbuisse, vix faucibus humectatis. Et quia in primis rudimentis tempore congruo non fundantur super instabile fundamentum opus ædificant ruinosum. Iamq; profectos pudet addiscere, quæ tenellos decuerat didicisse, & sic profecto coguntur perpetuo luere, quod ad fascès indebitos præpropere salierunt, propter hæc & his similia tyrones scolastici soliditatem, quam veteres habuerunt, eam paucis lucubratiunculis non attingunt, quantumcunq; fungantur honorib. censeantur nominib. auctorizentur habitibus, locenturq; solemniter in cathedris seniorum. Prisciani regulas & Donati statim de cunis erepti, & sic celeriter ablactati pertingunt categorias perihermenias, in cuius scriptura summus Arist. calamum in corde tinxit, infantuli balbutie resonant impubes & imberbes. Quarum facultatum itinera dispendioso compendio damnosq; diplomate transmeantes in sacrum Moy-

seu manus iniiciunt violentas, ac se tenebrosis aquis in nubibus aeris faciliter aspergentes, ad Pontificatus infulam caput parant nulla decoratum canicie senectutis. Promouent plurimum istam pestem iuantque ad istum phantasticum clericatum tam perniciosus passibus attingendum Papalis provisio seductivis precibus impetrata, nec non & preces, quæ repelli non possunt Cardinalium, & potentium amicorum cupiditas & parentum; qui ædificantes Syon in sanguinibus prius suis nepotibus & alumnis ecclesiasticas dignitates, aucupant, quam naturæ successu, vel doctrinæ, tempore maturefcant. Ideo præh dolor paroxifimo, quem plangimus Parisiense Palladium nostris mœstis temporibus cernimus iam sublatum, ubi tepuit imo ubi fere frigit zelus scholæ tam nobilis, cuius olim radii lucem dabant universis angulis orbis terræ. Quiescit ibidem iam calamus omnis scribæ, nec librorum generatio propagatur ulterius, nec est, qui

— incipiat novus auctor haberi.

Involvunt sententias sermonibus imperitis, & omnis logicæ proprietate privantur nisi quod Anglicanas subtilitates, quibus palam detrahunt, vigiliis furtivis addiscunt. Minerva mirabiles nationes hominum circuire videtur, & à fine usque ad finem attingit fortiter, ut seipsam communicet universis, Iudæos, Babylonios, Agyptos atque Græcos, Arabes &

La

Latinos e
Athenas
ritus pr
Infig
accellit
bitricen
à pleris
scit, sic
guelcit
Capit
perfic

Sapient
Sunt
Sapient
rit sap
duxim
funda
camu
deli
cere
invest
lis fir
adim
vis a
nomo
rata f
on ex
prob

Latinos eam iam pertransisse cernimus, iam Athenas deseruit, iam à Roma recessit, iam Parisius præterivit, iam ad Britanniam insularum insignissimam, quin potius microcosmum., accessit feliciter, ut se Græcis & Barbaris debitoricem ostendat, quo miraculo conicitur à plerisque, quod sicut Gallia iam sophia tepefcit, sic eiusdem militia penitus evirata languescit.

Capitulum decimum quod successive scientia ad perfectionem crevit, & quod auctor grammaticam Græcam & Hebræam procuravit.

Sapientiam veterum exquirentes assidue, Siuxta sapientis consilium Ecclesiast. xxxix *Sapientiam*, inquit, *omnium antiquorum exquirat sapiens*. Non in illam opinionem dignum duximus declinandum, ut primos artium fundatores omnem ruditatem elimasse dicamus, scientes ad inventionem cuiusque fidei conamine ponderatam, pusillam efficere scientiæ portionem, sed plurimorum investigationes sollicitas, quasi datis symbolis singulatim scientiarum vigentia corpora ad immensas, quas cernimus, copias successivis augmentationibus succreverunt. Semper namq; discipuli magistrorum sententias iterata fornace liquantes, præ neglectam scoriā excoxerunt, donec fieret aurum electum probatum terræ purgatum septuplum, & nullius.

lius erronei vel dubii admixtione fucatum, Neque enim Aristoteles quamvis ingenio gigantes floreret, in quo natura complacuit experiri, quantum mortalitati rationis posset admittere, quemq; paulo minus ab Angelis minoravit altissimus: illa mira volumina, quæ totus vix capit orbis ex digitis suis suxit. Quinimmo Babyloniorum, Ægyptiorum, Caldæorum, Persarum, & Medorum, quos omnes diserta Græcia in thesauros suos transtulerat, sacros libros oculis linceis penetrando peruiderat. Quorum recta dicta recipiens, aspera complanavit, superflua resecuit, diminuta supplevit, & erronea deleuit. Ac non solum sincere docentibus, sed etiam oberrantibus regratiandum censuit, quasi viam præsentibus veritatem facilius inquirendi, sicut ipsemet in secundo metaphysicæ clare docet. Sic multi Iurisperiti condidere pandectas, sic Medici multi tegni, sic & Avicenna canonem, sic Plinius molem illam historiarum naturalis, sic Ptholomæus edidit almagesti. Quemadmodum namque in scriptoribus annalium, considerare non est difficile, quod semper posterior præsupponit priorem, sine quo prælapsa tempora nullatenus enarrare valeret, sic est in scientiarum auctoribus æstimandum. Nemo namque solus quamcumq; scientiam generavit, cum inter veterrimos & novos, intermedios reperimus: antiquos quidem, si no-

si nostris
 si ad fund
 mos arbi
 norum
 cretium,
 in eorum
 nium Pit
 modo p
 Quid Sal
 Lactantiu
 generalite
 vel Græcor
 cete Hiero
 in scriptura
 gultinus, c
 odisse, im
 scisse dese
 tulissent, l
 modasset.
 prius gen
 effigiem,
 sz fidei tra
 symbola, q
 ta conciliis
 ta. Cedite
 accidens in
 fuerunt in
 bus minus n
 totam aut
 quita, ve

si nostris ætatibus comparentur : novos vero,
 si ad fundamenta referantur. Et istos doctissi-
 mos arbitramur. Quid fecisset Virgilius Lati-
 norum poeta præcipuus, si Theocritum, Lu-
 cretium, & Homerum minime spoliasset, &
 in eorum vitula non arasset? Quid nisi Parthe-
 nium Pindarumque, cuius eloquentiam non
 modo potuit imitari, aliquatenus læditasset.
 Quid Sallustius, Tullius, Boetius, Macrobius,
 Lactantius, Martianus, immo tota cohors
 generaliter Latinorum, si Athenarum studia
 vel Græcorum volumina non vidisset? Parum
 certe Hieronymus trium linguarum peritus
 in scripturæ gazophylacium, Ambrosius, Au-
 gustinus, qui tamen literas Græcas se fatetur,
 odisse, immo Gregorius, qui prorsus eas ne-
 scisse describitur, ad doctrinam ecclesiæ con-
 tulissent, si nihil eisdem doctior Græcia com-
 modasset. Cuius rivulis Roma rigata, sicut
 prius generavit philosophos ad Græcorum
 effigiem, pari forma postea protulit orthodo-
 xæ fidei tractatores. Sudores sunt Græcorum
 symbola, quæ cantamus, eorundem declara-
 ta conciliis, & multorum martyrio confirma-
 ta. Cedit tamen ad gloriam Latinorum per-
 accidens hebetudo nativa, quoniam sicut
 fuerunt in studiis minus docti, sic & in errori-
 bus minus mali. Arriana nempe malitia fere
 totam eclipsavit ecclesiam. Nestoriana ne-
 quitia, blasphema rabie debachari præsum-
 psit

psit in virginem. Nam tam nomen quàm definitionem Θεολόγος abstulisset & regina, nisi miles invictus Cyrillus monomachia congressum paratus exfufflasset. Innumerabiles nobis sunt Græcarum hæresum tam species quàm autores. Nam sicut fuerunt sacro sanctæ fidei primitivi cultores, ita primi zizaniorum factores, pro ut dicitur & producantur historiis fide dignis. Sicque posterus profecerunt in peius, quod dum inconsutilem domini tunicam scindere niterentur, claritatem doctrinae philosophicæ perdidit, ac novis tenebris excæcati decidunt in abyssum, nisi ille sua occulta dispenset potentia, cuius sapientiam numerus non metitur. Hæc hæcenus. Nam hic nobis subducitur iudicandi facultas. Unum tamen elicimus ex prædictis, quod damnosa nimis est hodie studio Latinorum Græci sermonis inciticia, sine quo scriptorum veterum dogmata sive Christianorum sive Gentilium nequeunt comprehendere. Idemque de Arabico in plerisque tractatibus astronomicis, ac de Hebraico textu sacrae Bibliæ verisimiliter est censendum, quibus defectibus provide Clemens Quintus occurrat, si tamen Prælati, quæ faciliter statuunt, fideliter observarent. Quamobrem grammaticam tam Græcam quàm Hebræam nostris scolaribus providere curavimus cum quibusdam adiunctis: quorum adminiculo studiosi lecto.

C
Gores in die
tura, nec no
ri licet pro
auris animo

Capitulum

IN libris
Liberarius ter
tas fecit filis
ad capenda fa
ciana fidei hanc
pote qua dicit
huius mundi
flante, Dei e
tum lites ne
cupiditas, in
que duci po
tinguit: ad
fuitis de piis
Sane cum c
potentiaque
miquæ ser
molus, hui
citur ut pler
geat plusqu
legionis in
chironis
lenter, C

lectores in dictarum linguarum scriptura, le-
ctura, nec non intellectu poterunt informa-
ri, licet proprietatem idiomatis solus auditus
auris animo repræsentet.

*Capitulum undecimum quod leges proprie non
sunt scientiæ: nec libri.*

IN libris iuris positivi lucrativa peritia dis-
pensandis terrenis accommoda, quanto hu-
ius seculi filiis famulatur utilius tanto minus
ad capeffenda sacre scripturæ mysteria & ar-
chana fidei sacramenta filiis lucis confert: ut-
pote quæ disponit peculiariter ad amicitiam
huius mundi, per quam homo, Iacobo te-
stante, Dei constituitur inimicus. Hæc nimi-
rum lites humanas, quas infinitas producit
cupiditas, intricatis legibus, quæ ad utrum-
que duci possunt, extendit crebrius quàm ex-
tinguit: ad quas tamen sedandas à Iuriconsul-
tis & piis Principib. dignoscitur emanasse.
Sane cum contrariorum sit eadem disciplina,
potentiæque rationalis ad opposita valeat, si-
mulque sensus humanus proclivior sit ad
malum, huius facultatis exercitatoribus ac-
cidit ut plerumque litibus extendendis indul-
geant plusquam paci, & iura non secundum
legislatoris intentum referant, sed ad suæ ma-
chinationis effectum verba retorqueant vio-
lenter. Quamobrem licet mentem nostram li-
bro-

brorum amor possideret à puero, quorum zelo languore vitæ voluptatis accepimus, minus tamen librorum civilium appetitus nostris adhæsit affectibus, minusque huiusmodi voluminibus acquirendis concessimus tam operæ quàm expensæ. Sunt enim utilia, sicut scorpio in tyriaca, quemadmodum libro de pomo & morte Aristoteles, sol doctrinæ, de logica diffinivit. Cernebamus inter leges & scientias quandam naturæ differentiam manifestam, dum omnis scientia iocundatur & appetit quod suorum principiorum præcordia introspectis visceribus pateant, & radices suæ pullulationis emineant, suæque scaturiginis emanatio luceat evidenter. Sic enim ex cognato & consono lumine veritatis conclusionis ad principia, ipsum corpus scientiæ lucidum fiet totum, non habens partem aliquã tenebrarum. At vero leges cum sint quædam pacta humana, statuta ad civiliter convivendum vel iuga Principum superiecta cornibus subditorum, recusant reduci ad ipsam synderesim veritatis ac æquitatis originem, eo quod plus habere se timeant de voluntatis imperio, quam de rationis arbitrio. Quapropter causas legum discutiendas non esse suadet in pluribus sententia sapientum. Nempe consuetudine sola leges multæ vigorem acquirunt, non necessitate syllogistica, sicut artes, prout secundo politicæ astruit Aristoteles Phœbus

sco-

scholæ, ubi politiam redarguit Hypodami, quæ novarum legum inventoribus premia largiri pollicetur, quia leges veteres abrogare & novas statuere est ipsarum, quæ sunt, validitatem infirmare. Quæ enim sola consuetudine stabilitatem accipiunt, hæc necesse est diffuetudine dirimantur. Ex quibus liquide satis constat, quod sicut leges nec artes sunt nec scientiæ, sic nec libri legum, libri scientiarum vel artium proprie dici possunt. Nec est hæc facultas inter scientias recensenda, quam licet geologiam appropriato vocabulo nominare. Libri vero liberalium literarum tam utiles sunt scripturæ divinæ, quod sine ipsorum subsidio frustra ad ipsius noticiam intellectus aspiret.

Capitulum duodecimum de utilitate & necessitate grammaticæ.

CUM librorum lectionibus foveremur assidue, quos moris erat quotidie legere, vel audire, perpendimus evidenter, quantum impediatur intellectus officium, vel unius vocabuli semiplena notitia, dum nullius enunciationis sententia capitur, cuius pars quantalibet ignoratur. Quapropter exarticulorum, verborum interpretationes mira sedulitate, iussimus annotari, antiquorumq; grammaticorum orthographiam, protodiã, etymologiã & dyasinthetim inconcussa curiositate consideranda.

deravimus, terminosq; vetustate nimia caligantes descriptionibus congruis delucidari curavimus, quatenus iter planum nostris studentibus pararemus. Hæc est sane sententia totalis, quare tot grammaticorum antiqua volumina emendatis codicibus renovare, studuimus, ut stratas regias sterneremus, quibus ad artes quascunque nostri futuri scolares incederent inoffense.

Capitulum XIII. de excusatione poësis & utilitate eiusdem.

OMnia genera machinarum, quibus contra poetas solius nudæ veritatis amatores obiiciunt, duplici refellentur umbone: quia vel in obscæna materia gratus cultus sermonis addiscitur, vel ubi ficta sed honesta sententia tractatur, naturalis vel historialis veritas indagatur sub eloquio typicæ fictionis. Quamvis nimirum omnes homines natura scire desiderant, non tamen omnes delectantur æqualiter addiscere: quinimmo studii labore gustato, & sensuum fatigatione percepta, plerique nucem abiciunt inconsulte, priusquam testisoluta nucleus attingatur. Innatus est homini duplex amor, videlicet propriæ libertatis in regimine & aliquantæ voluptatis in opere. Unde nullus sine causa alieno se subdit imperio, vel opus quodcunque exercet cum tædio sua sponte. Delectatio namq; perficit operatio

nem

nem, sic
ristotele
Idcirco
diuina
quoda
yconic
culto.
ut illa
invito
tura co
lit adv
breui ve
artem p
Aut p
Hoc
ter in
Om
Qu
quali
lo sco
est, in
dire?
num t
latenu
contec
curitile
fectus
tam fut
sus vide
cultio

nem, sicut pulchritudo iuventutem, sicut Aristoteles verissime dogmatizat. x. ethicorum. Idcirco prudentia veterum adinvenit remedium, quo lascivum genus humanū caperetur quodammodo pio dolo, dum sub voluptatis yconio delicata Minerva delitesceret in occulto. Muneribus parvulos solemus allicere, ut illa gratis velint addiscere, quibus eos vel invites intendimus applicare. Non enim natura corrupta eo impetitur, quo prona se pellic ad vitia; transmigrat ad virtutes. Hoc enim brevi versiculo nobis declarat Horatius, ubi artem poeticam tradit dicens:

Aut prodesse volunt, aut delectare poeta.

Hoc idem alio versu eiusdem libri potenter insinuavit ita dicens:

Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci.

Quot Euclidis discipulos reiecit Ellefuga quasi scopulus eminens & abruptus, qui nullo scolarium suffragio scandi posset. Durus est, inquit, hic sermo & quis potest eum audire? Filius inconstantiae, qui tandem in asinum transformari volebat Philosophiae, nullatenus forsitan studium dimisisset, si eidem contesta voluptatis velamine familiariter occurrisset: sed mox Crathonis cathedra stupefactus, & quaestionibus infinitis quasi quodam fulmine subitore percussus nullum prorsus videbat refugium nisi fugam. Haec in excusationem adduximus poetarum, iamq; studen-

dentes intentione debita in eisdem ostendi-
 mus inculandos. Ignorantia quidem solius
 unius vocabuli prægrandis sententiæ impedit
 intellectum, sicut proximo capitulo est assum-
 ptum. Cum ergo dicta sanctorum poetarum
 figmentis frequenter alludent evenit necesse
 est, ut nescio poemate introducto tota ipsius
 auctoris intentio penitus obstruatut. Et certe,
 sicut dicit Cassiodorus libro suo de institutio-
 ne divinarum literarum, *non sunt parva censen-
 da, sine quibus magna constare non possent.* Restat
 ergo ut ignoratis poësis ignoretur Hiero-
 nymus, Augustinus, Boetius, Lactantius, Sy-
 donius, & plerique alii, quorum letaniam pro-
 lixum capitulum non teneret. Venerabilis
 autem Beda vero huiusmodi dubitationis ar-
 ticulum discussione declaravit dilucida, sicut
 recitat compilator egregius Gratianus pluriū
 repetitor auctorum, qui sicut fuit avarus in
 compilationis materia, sic confusus reperitur
 in forma, scribens distinctione tricesima se-
 ptima. *Turbat acumen: Seculares nostras quidem
 legunt ad voluptatem poetarū figmentis & verbo-
 rum ornatu delectati. Quidam vero ad eruditionē
 eas addiscunt, ut errores gentilium legendo detestē-
 tur, & utilia, que in eis invenerint, ad usū sacre e-
 ruditionis devoti innectant tales landabiliter secu-
 lare literas addiscunt.* Hæc Beda. Hac institu-
 tione salutifera moniti fileant detrahentes
 studentibus, in poetis ad tempus, nec ignoran-
 tes

tes huiusmodi connescientes desiderent, quia hoc simile est solatio miserorum. Statuat sibi quisq; piæ intentionis effectum, & de quacunque materia observatis virtutis circumstantiis faciat studium Deo gratum. Etsi in poeta profecerit, quemadmodum magnus Maro se fatetur in Ennio, studium non amisit.

Capitulum XIV. de illis qui precipue deberent libros diligere.

Recolligenti prædicta palam est perspicuum, qui deberent esse librorum præcipui dilectores. Qui namq; sapientia magis egent ad sui status officium utiliter exequendum, hi potissime sacris vasis sapientiæ propensio-rem proculdubio exhibere tenentur sollicitum grati cordis affectum. Est autem sapientis officium bene ordinare & alios & seipsum secundum Phœbum philosophorum Aristotelem prohemio metaphysicæ, qui nec fallit nec fallitur in humanis. Quapropter Principes & Prælati, iudices & doctores, & quicumq; reipublicæ directores, sicut præ aliis sapientia opus habent, ita præ aliis valorum sapientiæ zelum debent habere. Philosophiam nimirum cõfixit Boetius in sinistra quidem sceptrum, & in dextra libros gestantem, per quod universis evidenter ostenditur, nullum posse rempublicam debite regere sine libris. *Tu*, inquit Boetius loquens Philosophiæ, *hanc sententiam Platonis*

ore sanxisti, beatas fore republicas si, eas vel studio si sapientie regerent vel eorum tectores studere sapientia contigisset. Rurfus hoc nobis infinuat ipse gestus imaginis, quod quanto dextra sinistram præcellit, tanto contemplativa vita dignior est activa, simulque sapientis interesse monstratur nunc studio veritatis, nunc dispensationi temporalium indulgere vicissim. Philippum legimus diis regratiatum devote, quod alexandrum concesserant temporibus Aristotelis esse natum, cuius instructione educatus regni paterni moderamine dignus esset, dum Phaeton ignarus regiminis fit curus auriga paterni: nunc vicinitate nimia, nunc remota distantia mortalibus æstum Phœbus infeliciter administrat, ac ne omnes periclitarentur subiecti pro iniquo regimine iuste metuit fulminari. Referunt tam Græcorum quam Latinorum historiæ, quod nobiles inter eos Principes non fuerunt, qui literarum peritia caruerunt. Sacra lex Mosaica præscribens regi regulam, per quam regat, librum legis divinæ sibi præcipit habere descriptum, Deuteronomii xvii. Secundum exemplar à sacerdotibus exhibendum, in quo sibi legendum esset omnibus diebus vitæ suæ. Sane labilitatem humanæ memoriæ & instabilitatem virtuosa voluntatis in homine satis noverat Deus ipse, qui condidit, qui & fingit quotidie corda hominum singillatim. Quamobrem quasi omnium
male-

malorum antidotum voluit esse librum, cuius lectionem & usum tanquã saluberrimum spiritus alimentum quotidianũ iugiter esse iussit? quo refocillatus intellectus nec enervis, nec dubius trepidaret ullatenus in agendis. Istud eleganter Joannes Saresburiensis pertractat in suo Polycratico libro iv. Ceterum omne genus hominum, qui tonsura vel nomine clericali præfulgent, contra quos libri quarto, quinto, & sexto capitulis querebantur, libris tenentur veneratione Papæ famulari.

*Capitulum XV. de multiplici effectu scientiæ,
quæ in libris continetur.*

Humanum excedit ingenium quantum-
cumque de fonte Pegasi potatum, instantis
capituli titulum explicare perfecte, linguis ho-
minum & angelorum quis loquatur: si in Mer-
curium transformaretur aut Tullium: si dulces-
cat Titi Livii eloquentiã lactea: si Demosthenis
suavitate peroret, aut Moyse balbuciem alle-
gabit, vel cum Hieremia se puerum nescientẽ
confitebitur adhuc loqui, vel imitabitur reso-
nantem in montibus altis Echo. Amorem nam-
que librorum, amorem sapientiæ constat esse
sicut secundo capitulo est probatum. Hic au-
tem amor Philosophiæ Græco vocabulo nun-
cupatur, cuius virtutem nulla comprehendit
creata intelligentia, quoniam creditur omniũ
bonorum mater esse, Sapientiæ septimo. Æstus
quippe carnalium vitiorum quasi cœlitus ros

extinguit, dum motus insensus virtutum animalium vires naturalium virtutum remittit, ocio Penitus effugato. quo sublato,

— *periere Cupidinis arcus omnis.*

Hinc plato in Phædrone; *in hoc, inquit, manifestus est philosophus, si absolvit animam à corporis differentiis aliis hominib. Anima* (inquit Hieronymus *scientiam scripturarum & carnis vicia non amabis.* Demonstravit hoc Xenocrates dei formis in constantia rationis, quem nobile scortum, Phyrne nomine, statuam diffinivit non hominem, cum nullis valeret eum illecebris evirare, quemadmodum Valerius libro IV. ca. III. plene refert. Hoc ipsum noster Origenes ostendit, qui ne eum ab omnipotenti fœmina effœminari contingeret, utriusq; sexus medium per abnegationem exteriorum elegit. Animum quippe remedium, nec natura modo cõsentaneum nec virtuti, cuius est hominem non insensibilem facere passionum, sed subortas à fomite rationis enecare mucrone: Rursus mundana & pecunias parvipendunt, quotquot amor affecit librorum dicente Hieronymo ad Vigilantium epistola LIV. *Non est eiusdem hominis aureos nummos & scripturas probare.* Unde à quodam metrico sic dictum est:

Nulla libris erit apta manus ferrugine tincta,

Nec nummata queunt corda vacare libris.

Nummpete cum libricolis nequeunt simul esse:

Ambos crede mihi non tenet una domus.

Nul-

Nullus ergo potest Mammoni & libris seruire. Vitiorem deformitas in libris maxime reprobatur, ut inde dicuntur omnimode vitia detestari, qui libros dilexerunt perscrutari. *Demon*, qui à scientia nomen habet, per librorum scientiam potissime triumphatur, cuius fraudes multipliciter flexuosæ, milleq; perniciosi meandri per libros panduntur legentibus, ne-transfigurans in Angelum lucis dolis circumveniat innocentes. Divina nobis per libros reverentia revelatur, virtutes quibus colitur propalantur expressius, atq; merces describitur, quâ, quæ nec fallit nec fallitur, veritas pollicetur. Imago simillima futuræ beatitudinis est sacrarum contemplatio litterarum, in quibus nunc creator, nunc creatura conspicitur ac detorrente perpetuæ iocunditatis hauritur fides, fundatur potentia litterarum, spes librorû solatio confirmatur, ut per patientiam & consolationem scripturarû spem habeamus. Charitas non inflatur, sed ædificatur per verarum litterarum notitiam, immo super libros sacros constat luce claris ecclesiam stabilitam. Delectant libri prosperitate feliciter arridente: consolantur individue nubila fortuna terrente: pacis humanis robur attribuunt: nec feruntur sententiæ graves sine libris. Artes & scientiæ consistunt in libris, quorum emolumenta nulla mens sufficeret enarrare, quanti pendenda est mira librorum potentia, dum per

eos fines tam orbis quàm temporis cernimꝰ,
 & ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt, quasi
 in quodam æternitatis speculo contemplamur:
 montes scandimus, & abyssorum voragines in
 libris perscrutamur. Species pisciũ, quos com-
 munis aer nequaquam salubriter continet, in-
 tuemur. Codicibus fluviorum, & fontium, & di-
 versarum terrarum proprietates distinguimus.
 Metallorum atq; gemmarum genera, & mine-
 ræ cuiusq; materias de libris effodimus: herba-
 rumq; vires, arborum, & plantarum prolemq;
 totam pro libitu cernimus Neptuni, Cereris &
 Plutõis quod si nos cœlicolas visitare delectat,
 suppeditantes Taurum, Caucasum & Olympũ,
 Iovis regna transcendimus, & septem territoria
 planetarum funiculis & circulis emetimur. I-
 psam tandem firmamentum supremum, signis
 gradib. & imaginibus varietate maxima deco-
 ratum lustramus. Ibi polum antarcticum, quẽ
 nec oculus vidit nec auris audit, inspicimus.
 Luminosum iter galaxiæ, & animalib. cœlestib.
 picturatum zodiacum, delectabili iocunditate
 miramur. Hinc per libros ad separatas transi-
 mus substantias, & ut cognatas intelligentias
 intellectus salutet, primamq; causam omnium,
 aut motorem immobilẽ infinitæ virtutis oculo
 mentis cernat, & amore inhæreat sine fine.
 Ecce per libros adduci beatitudinis nostræ
 mercedem attingimus, dum adhuc existimus
 viatores. Quid plura? Procul dubio sicut Se-
 neca

neca docente octogesima quarta epistola, quæ incipit, *Desi iam de te esse sollicitus: Ocium sine literis mors est, & vivi hominis sepultura*, ita revera à sensu contrario, literarum seu librorum negocium concludimus esse vitam. Rursus per libros tam amicis quàm hostibus intimamus, quæ nequaquam secure nunciis commendamus: quoniam libro plerumque ad *Principum thalamos ingressus conceditur, quo repelleretur penitus, vox auctoris*, sicut Tertullianus in principio apologetici sui dicit. Carceribus & vinculis custoditi, ademptaq; penitus corporis libertate librorum legationibus utimur ad amicos, eisq; causas nostras expediendas committimus, quo nobis fieret causa mortis accessus. Per libros præteritorum reminiscimur, de futuris quodammodo prophetamus, præsentia, quæ labuntur & fluunt, scripturæ memoria stabilimus. Felix studiositas & studiosa felicitas præpotentis eunuchi, de quo actuum octavo narratur, quem amor prophetica lectionis accenderat tam ardentem, quod nec ratione itineris à lectione cessaret, Regina Candacis palatium oblivioni tradiderat, gazas quibus præerat à cura cordis semoverat, & tam iter quàm curram, quo ferebatur, neglexerat: solus amor libri totum sibi vindicaverat domicilium castitatis. Quo disponente mox fidei ianuam meruit introire. O gratiosus amor librorum, qui gehennæ filium & alumnum Tartari per baptismalem gratiam

filium fecit regni? Cesset iam stilus impotens
infiniti negotii consummare tenorem, ne vi-
deatur aggredi temere, quod in principio ta-
tebatur impossibile cuiquam esse.

*Capitulum XVI. de libris novis scribendis, &
antiquis reparandis.*

Sicut necessarium est reipublicæ pugnaturis
militibus arma providere militaria, & con-
gestas victualium copias præparare, sic eccle-
siæ militanti contra Paganorum & Hæretico-
rum insultus, operæ præcium constat esse li-
brorum sanorum multitudine communire.
Verum quia omne, quod servit mortalibus, per
lapsum temporis mortalitatis dispendia pati-
tur, necesse est vetustate tabefacta volumina
innovatis successoribus instaurari, ut perpe-
tuitas, quæ repugnat naturæ individui, conce-
datur speciei. Hinc est quod signanter dicit Ec-
clesiastes, Faciendâ plures libros nullus est finis.
Sicut enim librorum corpora, ex contrariorum
commixtione compacta suæ compositionis
continuum sentiunt detrimentum, si per pruden-
tiam clericorum est reperire remediū, per quod
liber sacer solvens naturæ debitum hereditarium
obtineat substitutum, & simile semet sacri sacro
mortuo sustinetur: verificeturque statim illud
Ecclesiastici xxx. *mortuus est pater illius, & quasi
non est mortuus, similem enim reliquit post se fi-
lium.* Sunt ergo transcriptores veterum quasi
qui-

quidam propagatores recentium filiorum, ad quos paternum devolvatur officium, ne municipium minuatur. Sane huiusmodi transcriptores antiquarii nominantur, quorum studia inter ea, quæ complentur labore corporeo Cassiodorus sibi placere confitetur, de institutione divinarum literarum tertio capitulo, ita subdens: *Felix, inquit, scientia laudanda sedulitas, manu hominibus predicare, linguas digitis aperire, salutem mortalibus tacitum dare, et contra diaboli tentationes illicitas calamo et atramento pugnare.* Hæc ille. Porro scriptoris officium salvator exercuit, dum inclinans se deorsum digito scribebat in terra Ioannis VIII. ut nullus quantumcunque nobilis dedignetur hoc facere quod sapientiam Dei patris intuetur fecisse. O scripturæ serenitas singularis, ad cuius fabricam inclinatur artifex orbis terræ, in cuius tremendo nomine flectitur omne genu. O venerandum artificium singulariter præ cunctis praxibus, quæ hominis manu fiunt, cui pectus dominicum incurvatur humiliter, cui digitus Dei applicatur vice calami functus? Caterum Dei filium vel arasse, texuisse, vel fodisse non legimus: nec quicquam aliud de mechanicis decebat divinam sapientiam humanatam nisi scribendo literas exarare: ut discat quilibet generosus aut sciolus, quod hominibus digiti tribuuntur ad scribendi negocium, potius quàm ad bellum.

Unde librorum sententiam approbamus, qua clericum inertem scripturæ censuerunt quodammodo mancum fore, capitulo sexto supra. Scribit iustos in libro viventium Deus ipse. Lapideas quidem tabulas digito Dei scriptas Moyses accepit. *Scribat librum, qui indicat*, Iob proclamat. *Digitos scribentis in pariete, mane techel phares*, Balthasar tremens vidit Danielis quinto. *Ego*, inquit Hieremias, *scribebam in volumine atramento*, Hieremiæ xxxvi. *Quod vides, scribe in libro*, Christus Ioanni charo suo præcepit Apocal. primo. Sic Esaïæ, sic Iosua, officium scriptoris iniungitur, ut tantæ artis peritia futuris in posterum commendetur. In vestimento & in femore scriptum habet rex regum & dominus dominantium Christus ipse, ut sine scriptura nequeat apparere perfectum omnipotentis regium ornamentum. Defuncti docere non desinunt, qui sacræ scientiæ libros scribunt. Plus Paulus scribendo sacras epistolas ecclesiæ profuit fabricandæ, quàm Gentibus & Judæis evangelizando sermone. Nempe per libros cotidie continuat comprehensor, quod olim in terra positus inchoavit viator. Sicque verificatur de doctoribus libros scribentibus sermo Propheticus Danielis XII.

Qui ad iustitiam erudiunt multos, erunt quasi stelle in perpetuas aternitates. Porro sollicitudinem antiquorum priusquam Deus origi-
na-

CIT
stem munitum
bondam munitum
crevere Doctor
concedere
scribens
astronomia
mentaliter
norum period
requiritur
quin terra m
firi nullus
quam modern
hoc corpus
hæreses
Ad quam non
virtuti vivit
suo voluptat
litatus iusto
falsifici xxxv
entatio, ut p
arguatur et
cipos dixeram
egregios m
si perita d
cum indol
et tempore
transit Gall
cotinuos lem
Antiquos

nalem mundum cataclysmo dilueret, ascribendam miraculo non naturæ Catholici de- crevere Doctores, ut Deustantum eis vitæ concederet, quantum reperiendis & in libris scribendis scientiis conveniret: inter quas astronomiæ miranda diversitas, ut experi- mentaliter visui subderetur, sexcentorum an- norum periodum (secundum Iosephum.) requirebat: verum tamen non abnuunt, quin terra nascentia illius temporis primi- tivi utilius alimentum præstarent mortalibus quam moderni: quo dabatur non solum hi- lerior corporis entelechia, sed etiam diutur- nior florens ætas.

Ad quam non modicum contulit, quod virtuti vivebant omnimode, rescato super- fluo voluptatis. Igitur quisquis Dei munere es ditatus iuxta consilium spiritus sancti Eccle- siastici xxxviii. *sapientiam scribe in tempore va- cuitatis, ut premium tibi cum beatis, & spacium augeatur ætatis.* Cæterum si ad mundi Prin- cipes divertamus sermonem. Imperatores egregios invenimus non solum artis scriben- di peritia floruisse, sed & ipsius operi pluri- mum indulgisse. Iulius Cæsar primus omnium & tempore & virtute commentarios reliquit tam belli Gallici quàm Civilis à semetipso conscriptos. Item de analogia duos libros, & Anticatones totidem, & poema quod inscri-
bi-

bitur Iter. & opuscula alia multa fecit, ut tam Iulius quàm Augustus cautelas scribendi literam occultarent. Nam Iulius quartam literam posuit loco primæ, & sic deinceps alphabetum expendit: Augustus vero secundam pro prima, & pro secunda tertiam, & ita deinceps usus fuit. Hic in Mutinensi bello in maxima mole rerum, cotidie & legisse & scripsisse traditur, ac etiam declamasse. Tiberius lyricum carmen scripsit, & poemata quædam Græca. Claudius similiter tam Græci quàm Latini sermonis peritus, varios libellos fecit. Sed præ aliis & his Titus in scribendi peritia floruit, qui cuiuscunque volebat literam mutuavit facillime. Unde se fatebatur falsarium maximum, si libuisset, fieri potuisse. Hæc omnia Suetonius de vita VII. Cæsarum annotavit.

*Capitulum xvii, de libris munde tractandis
& collocandis.*

Non solum Deo præstamus obsequium novorum librorum præparando volumina, sed & sacratæ pietatis exercemus officium, si eosdem nunc illæse tractemus, nunc locis idoneis redditos illibatæ custodiæ commendemus, ut gaudeant puritate dum habentur in manibus, & requiescant secure dum in suis cubilibus reconduntur. Nimirum post vestes & vascula corpori dedicata dominico, sacri

facri libri merentur à clericis honestius con-
tractari, qui totiens præsumunt attingere
manu fœda. Quamobrem exhortari studentes
super negligentis variis reputamus expedi-
ens, quæ imitari faciliter semper possent, &
mirabiliter libris nocent. In primis quidem
circa claudenda & aperienda volumina sit
matura modestia, ut nec præcipiti festinatio-
ne solvantur, nec inspectione finita sine clau-
sura debita dimittantur. Longe namque dili-
gentius librum quàm calceum convenit con-
servari. Est enim scholarium gens perperam
educata communiter, & nisi maiorum regu-
lis refrenetur, infrunitis inscitis insolescit. A-
guntur petulantia, præsumptione tumescunt;
de singulis iudicant tanquam certi, cum sint
in omnibus in experti. Videbis fortasse iuve-
nem cervicosum, in studio segniter residen-
tem. Et dum hyberno tempore hyemis alget,
nasus irriguus frigore comprimente distillat,
nec prius se dignatur emunctorio tergere,
quam subiectum librum madefecerit turpi-
rore. Cui utinam loco codicis, corium subde-
retur sutoris. Unguem habet fimo fœtente re-
fertum, giganti simillimum, quo placentis
materiæ signat locum. Paleas dispartitur in-
numeras, quas diversis in locis collocat evi-
denter, ut festuca reducat, quod memoria
non retentat. Hæ paleæ quia nec venter libri
digerit, nec priusquam eas extrahit primo
qui-

quidem librum à solita iunctura distendunt, & tandem negligenter oblivioni commissa putrescunt. Fructus & caseum super librum expansum non veretur comedere, atque cyphum hinc inde dissolute transferre. Et quia non habet eleemosynarum sacculum præparatum, in libris dimittit reliquias fragmentorum. Garrulitate continua lociis oblatrare non desinit, & dum multitudinem rationum, adducit à sensu physico vacuarum, librum in gremio subexpansum humectat spargine salivarum. Quid plura? statim duplicatis cubitis reclinatur in codicem & per breve studium soporem invitat prolixum, ac pro reparandis rugis limbos replicat foliorum ad libri non modicum detrimentum. Iam imber abiit & recessit, & flores apparuerunt in terra nostra, tunc scolaris, quem describimus, librorum neglector potius quam inspector, viola primula atq; rosa, nec non quadrifolio, farciat librum suum: tunc manus aquosas & scatentes sudore, voluendis voluminibus applicabit: tunc pulverulentis undique chirotheceis in candidam membranam impinget, & indice veteri pelle vestito venabitur paginam lineatam: tunc ad pulicis mordentis aculeum sacer liber obiicitur, qui tamen vix clauditur infra mensem, sicque pulveribus introiectis tumescit, quod claudentis instantiæ non obedit. Sunt autem specialiter coher-

hercendi à
impudente
giare dicit
minum si
glossatores
ginem cito
se apparet
qualecumq;
colligat ut
mit. In La
scho ind. d.
quod formidat
b. patium.
Sunt iterum
detruncant
schedulas
salva, vel
dimittunt
mont. Qu
tione ante
venit aute
quotiens
præcedat
legimine
aut folia p
nolus capi
imagine, n
rum. Tam
Porro
pinc trati

hercendi à contractione librorum iuvenes impudentes qui cum litterarum figuras effigiare didicerint, mox pulcherrimorum voluminum si copia concedatur incipiunt fieri glossatores incongrui, & ubi largiorem marginem circa textum perspexerint, monstruose apparitant alphabetum, vel aliud frivolum qualecunque quod imaginationi occurrit incaltigatus calamus protinus exarare præsumit. Ibi Latinista, ibi sophista, ibi quilibet, scriba indoctus, aptitudinem pennæ probat, quod formosissimis codicibus, quoad usum & pretium, creberrime vidimus offuisse. Sunt iterum fures quidam libros enormiter detruncantes, qui pro epistolarum cartis schedulas laterales abscindunt, littera sola, salva, vel finalia folia quæ ad libri custodiam dimittantur ad varios usus & abusus assument. Quod genus sacrilegii sub interminatione anathematis prohiberi deberet. Convenit autem profus scolarium honestati, ut quotiens ad studium à refectione reditur, præcedat omnino lotio lectionem, ne digitis sagimine delibutis, aut signacula libri solvat, aut folia prius volvat. Puerulus autem lacrimosus capitalium litterarum non admiretur imagines, ne manu fluida polluat pergamenum. Tangit erim illico, quicquid videt. Porro laici, qui librum æque respiciunt refuspine transversum, sicut serie naturali expantum,

sum, omnium librorum communione penitus sunt indigni. Hoc etiam clericus disponat, ut olens ab ollis lixa cineris librorum folia non contingat illotus, sed qui ingreditur sine macula, præciosis codicibus minitrahit. Conferret autem plurimum tam libris quàm scholaribus manuum honestarum mundicia, si non essent scabies & pustulæ characteres clericales. Librorum defectibus, quotiens advertuntur, est citius occurrendum; quoniam nihil grandescit citius quàm scissura & fractura, quæ ad tempus negligitur, reparabitur postea cum usura. De librorum armariis mundissime fabricandis, ubi ab omni læsione serventur securi, Moyses mitissimus nos informat Deutronomii. xxi. *Tollite, inquit, librum istum, & ponite eum in latere arboris cedris Domini Dei vestri.* O locus idoneus & bibliotheca conveniens, quæ de lignis Cethmi imputribilibus facta fuit, auroque per totum interius & exterius circumtectæ. Sed & omnem in honestatis negligentiam circa libros tractandos, suo Salvator exclusit exemplo, sicut legitur Lucæ quarto. Cum enim scripturam propheti- cam de se scriptam in libro tradito perlegisset, non prius librum ministro restituit, quàm eundem suis sacratissimis manibus sicutisset. Quo factò studentes docenter clarissime circa librorum custodiam quantumcunq; minima negligi non debere.

Capitulum XVIII. auctor contra suos detractores.

Nihil iniquius in humanis perpenditur, quàm quòd ea, quæ geruntur iustissime, malignorum obliquiis pervertuntur Et inde reportat quis famam criminis, unde magis meruit speciem honoris. Oculo simplici perpetrantur plurima, nec sinistra dextræ se commiscet. Nullo fermento massa corrumpitur, neque vestis ex lino lanaque contextitur. Per verforum tamen præstigiis opus pium mendaciter transformatur in monstrum. Hæc est nimirum peccatricis animæ reprobanda conditio, quod non solum in factis moraliter dubiis pro peiore sententiat; immo frequenter illa quæ speciem boni habent, nequitiosa subversione depravat. Quamvis enim amor librorum ex obiecti natura præferat honestatem, miro tamen modo obnoxios nos efficit iudiciis plurimorum, quorum admirationibus obtræctati nunc de curiositate superflua, nunc de cupiditate in illa duntaxat materia, nunc de vanitatis apparentia, nunc de voluptatis intemperantia circa literas notabamur. Quorum revera vituperiis non plus quam caniculorum latratibus movebamur, illius solius testimonio contentati, ad quem renes & corda pertinet perscrutari. Cum enim voluntatis secretæ finalis intentio homines lateat, cordium inspectori perniciosæ temeritatis merentur.

redargui, qui humanis aëibus, quorum non vident fontale principium, epigramma tam, faciliter superscribunt sinistrum. Finis enim se habet in operabilibus, sicut principia in speculativis, vel suppositiones in mathematicis, teste Philosophorum principe VI. I. ethicorum. Quapropter sicut ex principiorum evidentia conclusionis veritas declaratur, ita plerumque in agibilibus ex honesti finis intentione bonitas moralis in opere sigillatur, ubi alias opus ipsum iudicari deberet indifferens, quoad mores. Nos autem ab olim in precordiis mentis nostræ præpositum gessimus radicatum quatenus oportunit temporibus expectatis divinitus aulam quandam in reverenda universitate Oxoniensi, omnium artium liberalium nutrice præcipua, in perpetuam elemosynam fundaremus necessariisque redditibus ditaremus numerosis scholaribus occupatam nostrorum librorum iocalibus superditaremus, ut ipsi libri & singuli eadem communes fierent quantum ad usum & studium non solum scholaribus aulæ tantæ, sed per eos omnibus universitatis prædictæ studentibus in æternum secundum modum & formam, quam sequens capitulum declarabit. Quapropter sincerus amor studii zelusque orthodoxæ fidei ad ædificationem ecclesiæ confirmandæ pepererunt in nobis sollicitudinem hanc stupendam nummicolis, ut collectos

codi-

codices undecunq̄ue venales neglectis sumptibus emeremus, & qui venundari non debebant, transcribi honestius faceremus. Cum enim delectationes hominum ex dispositione corporum cœlestium, cui mixtorum complexio frequenter obedit, diversimode distinguantur: ut hi in architectura, illi in agricultura: hi in venationibus, illi in navigationibus: hi in bellis, illi in ludis, eligant, conuersari: cecidit circa nostræ Mercurialis species voluptatis honestæ, quam ex recte rationis arbitrio, cuius nulla sidera dominantur imperio, in honorem ordinavimus maiestatis supremæ, ut unde mens nostra tranquillitatem reperit requiei, inde devotissime cresceret, cultus Dei. Quamobrem desinant obrectantes sicut cæci de coloribus iudicare. Vespertiones de luce disceptare non audeant, atque trabes gestantes in oculis propriis, alienas festucas eruere non præsumant. Cessent commentis satyricis suggillare, quæ nesciunt, & occulta discutere, quæ humanis experienciis non patefcunt. Qui nos fortassis affectu commendassent benivolo, si ferarum venatui, alearumq̄; lusui, dominarum applausui vacassemus.

Capitulum XIX. de ordinatione provida, qualiter libri extraneis concedantur.

Difficile fuit semper sic homines limitare legibus honestatis, quin astutia suc-

cessorum terminos niteretur præcedentium, transire & statutas infringere regulas insolentia libertatis quamobrem de prudentum, consilio certum modum præfiximus, per quæ ad utilitatem studentium librorum nostrorum communicationem & usum volumus devenire. In primis enim libros omnes & singulos, de quibus catalogum fecimus specialem, concedimus & donavimus intuitu charitatis communitati scolarium in aula Oxoniensi degentiũ, in perpetuam elemosynam pro anima nostra & parentum nostrorum, nec non pro anima illustrissimi Regis Angliæ Eduardi Tertii post conquestum, & devotissimæ dominæ Reginæ Philippæ confortis eiusdem, uti idem libri omnibus & singulis universitatis dictæ villæ scholaribus & magistris tam regularibus quàm secularibus commodentur pro tempore, ad profectum & usum studentium, iuxta modum quem immediate subiungimus, qui est talis. Quique de scolaribus in aula præfata commorantibus assignentur per eiusdem aulæ magistram, quibus librorum custodia deputetur, de quibus quinq; personis tres & nullatenus pauciores librum vel libros ad inspectionem, & usum duntaxat studii valeant commodare: ad copiandum vero & transcribendum nullum librum volumus extra septa domus concedi. Igitur cum scolaris quicumque secularis vel religiosus, quos in præfenti favore ad paria iudi-

iudicam
petiverit
librum t
com
librum
cio eor
de libe
contine
tradunt
Domini
Si vero
qui peti
non com
viva lib
inspection
dictæ, se
lari ver
que pe
commo
librum
ipse po
dare,
pra dict
secundi
Adhac
fidem p
modi de
vel libro
et aliam
cum ro

iudicamus, librum aliquem commodandum petiverit, considerent diligenter custodes, an librum talem habuerint duplicatum. & si sic, commodent ei librum cautione recepta, quæ librum traditum in valore transcendat iudicio eorum: fiatq; statim tam de cautione quàm de libro commodato memorialis scriptura, continens nomina personarum quæ librum tradunt, & illius qui recepit cum die & anno Domini quo contingit fieri commodatum. Si vero custodes invenerint, quod ille liber, qui petitur duplicatus non fuerit, talem librū non commodent cuicumq; nisi fuerit de comitiva scholarium dictæ aulæ nisi forte ad inspectionem infra septa domus vel aulæ prædictæ, sed non ad ulterius deferendum. Scholari vero cuilibet prædictæ aulæ liber quicumque per tres de prædictis custodibus valeat, commodari, nomine tamen suo cum die, quo librum recipit, primitus annotato: nec tamen ipse possit librum sibi traditum alteri commodare, nisi de assensu trium de custodibus supra dictis: & tunc deleto nomine primi nomen secundi cum tempore traditionis scribatur. Adhæc omnia observandum custodes singuli fidem præstent, quando eis custodia huiusmodi deputatur. Recipientes autem librum vel libros, ibidem iurabunt, quod eum vel eos ad alium usum nisi ad inspectionem vel studium nullatenus applicabunt, quodq; illum

vel illos extra villum Oxoniensem cum suburbio, nec deferent nec deferri permittent. Singulis autem annis computum reddent prædicti custodes magistro domus & duobus, quos secum duxerit de suis scholaribus assumendum: vel si eidem non vacaverit, tres deputet inspectores alios à custodibus, qui librorum catalogum perlegentes, videant quod omnes habeant vel in voluminibus propriis vel saltem per cautiones præsentis. Ad hunc etiam computum persolvendum temporis credimus oportunius, à kalendis Iunii usque ad festum sequens gloriosissimi martyris sancti Thomæ. Hoc autem omnino adiciamus, quod quilibet, cui liber aliquis fuerit commodatus, semel in anno librum præsentet custodibus, & suam si voluerit videat cautionem. Porro si contingit fortuito per mortem, furtum, fraudem vel incuriam librum perdi, ille qui perdidit vel eiusdem procurator, seu etiam executor precium libri solvat, & eiusdem recipiat cautionem. Quod si qualitercunque custodibus ipsis lucrum evenerit, in nihil aliud quam in librorum reparationem & subsidium convertatur.

Capitulum XX. Auctor petit orationes & notabiliter docet orare studentes.

Tempus iam efflagitat terminare tractatum, quem de amore librorum compo-
gi.

gimus; in quo contemporaneorum nostrorum admirationibus de eo, quod tantum libros dileximus rationem reddere nisi sumus. Verum quia vix datur aliquid operari mortalibus, quod nullius pulvere aspergatur vanitatis, studiosum amorem quem ita diuturnum ad libros habuimus iustificare penitus non audemus, quin fuerit forsitan nobis quandoque occasio alicuius negligentiae venialis, quamvis amoris materia sit honesta, & intentio regulata. Si namque cum omnia fecerimus, servos nos inutiles dicere teneamur; si Iob sanctissimus sua opera omnia verebatur; si iuxta Esaiam quasi pannus menstruatus omnes sunt iustitiae nostrae: quis de perfidia Sionne cuiuscunque virtutis praesumat iactare, quin ex aliqua circumstantia valeat reprehendi, quae forsitan à seipsa non poterat deprehendi. Bonum enim ex integris causis, nolum omnifarie, sicut Dionysius de divinis nominibus nos informat. Quamobrem in nostrarum iniquitatum remedium, quibus nos omnium creatorem crebrius offendisse cognoscimus, orationem suffragia petitori studentes nostros futuros dignum duximus exhortari, quatenus sic tam nobis quam aliis eorundem futuris beneficiorum, fiant grati, quod beneficiorum nostrorum providentiam spiritualibus retributionibus recompensent. Vivamus in eorum memoriis funerati, qui in nostris vixerunt

runt benivolentiis nondum nati, nostrisque nunc vivunt beneficiis sustentati. Clementiã redemptoris implorent instantiis indefessis, quatenus negligentis nostris parcat, peccatorum reatibus pius iudex indulgeat, lapsus nostræ fragilitatis pallio pietatis operiat, & offensas quas & pudet & pœnitat commississe, benignitate divina remittat: conservet in nobis ad sufficiens spacium pœnitendi suarum munera gratiarum, fidei firmitatem, spei sublimitatem, & ad homines latissimam charitatem: flectat superbum arbitrium ad culpæ suarum lamentum, ut deploret transactas elationes vanissimas, & retractet indignationes amarissimas ad delectationes insanissimas detestetur. Vigeat sua virtus in nobis cum nostra defecerit, & qui nostrum ingressum sacro baptismo consecravit gratuito, nostrum processum ad statum Apostolicum sublimavit. Laxetur à nostro spiritu amor carnis: evanescat penitus metus mortis, desideret dissolvi & esse cum Christo. Et in terris solo corpore cõstitui cogitatione & aviditate in æterna patria conversemur. Pater misericordiarum & Deus totius consolationis filio de filiis revertenti benignus occurrat, dragmam denuo repertam recipiat, & in thesauros æternos per sanctos angelos transmittat. Castiget vultu terrifico exitus nostri hora spiritus tenebrarũ, ne latens in limine portæ mortis Leviathan ser-

serpens vetus
nostro parat.
nal fuerimus
re gemmus
Consideret
sancti sangui
tas humanat
ibi transeat
pietas cernit
miseri, ubi
Amplius reit
Virginem &
tam, nostri de
suegan frequ
nolita lacrim
invenit tur
pergrata me
tum. Depre
bra, qua no
ta penlabu
gravitas cri
abyssum.
bertum, c
suscepimus
ri, devote
licet indig
dignetur
nisi in ter
celis. Pu
poci prec

serpens vetus insidias improvifas calcaneo nostro paret. Cum vero ad terrendum tribunal fuerimus advocati, ut cuncta quæ corpore gessimus attestante conscientia referamus. Consideret humanitas iuncta Deo effusi sui sancti sanguinis precium, & advertat divinitas humanata carnalis naturæ figmentum, ut ibi transeat fragilitas impunita, ubi clemens pietas cernitur infinita: & ibi respiret spiritus miseri, ubi instat iudicis proprium misereri. Amplius refugium spei nostræ post Deum, Virginem & Reginam theotocam benedictam, nostri semper studentes salutationibus fatagant frequentare devotis, ut qui propter nostra facinora triplicata meruimus iudicem invenire turbatum, per ipsius suffragia semper grata mereamur eundem reperire placatum. Deprimat pia manus brachium æque libræ, qua nostra tam parva quam pauca merita pensabuntur, ne quod absit præponderet gravitas criminum, & damnandos deiciat in abyssum. Clarissimum autem meritis Cuthbertum, cuius gregem pascendum indigni suscepimus, omnium cultu studeant venerari, devote rogantes assidue, ut suum quidem licet indignum vicarium precibus excusare dignetur feliciter. & quem successorem admisit in terris, procuret effici confessorem in cælis. Puris denique tam mentis quam corporis precibus rogent Deum, ut spiritum ad

imaginem Trinitatis creatum post præsentis
miseriæ incolatum, ad suum reducat primor-
diale prototypum, ac eidem concedat perpetuum
fruibilis faciei conspectum, Per dominum
nostrum Iesum Christum. Amen.

BESSARIONIS PATRIAR-
chæ Constantinopolitani, & Car-
dinalis Thusculani

EPISTOLA

DE SUA BIBLIOTHECA

*Illustrissimo atque invictissimo Principi D. Christo-
phoro Moro Duci & inolyto Venetorum
Senatui S.*

Equidem semper à tenera fere pueriliq̄ue
ætate omnem meum laborem, omnem-
que operam, studium, curamq̄ue adhibui, ut
quoscunque possem, libros in omni discipli-
narum genere compararem. Propter quod
non modo plerosq̄ue & puer & adolescens
manu mea conscripsi, sed quicquid pecunio-
læ seponere interim parca frugalitas potuit,
in his coëmendis absumpsi. Nullam enim
magis dignam atque præclaram suppellesti-
lem, nullum utiliorem præstantioremq̄ue,
thesaurum parare mihi posse existimabam.
Vocibus pleni, pleni antiquitatis exemplis,
ple-

pleni moribus, pleni legibus, pleni religione
vivunt, conversantur, loquunturque no-
biscum. Docent nos, instituunt, consolantur:
resq; à memoria nostra remotissimas
quasi præsentes nobis exhibent & ante ocu-
los ponunt. Tanta est eorum potestas, tanta
dignitas, tanta maiestas, tantum denique nu-
men, ut nisi libri forent rudes omnes effemus
atque indocti: nullam ferè præteritarum re-
rum memoriam, nullum exemplum, nullam
denique nec humanarum nec divinarum re-
rum cognitionem haberemus. Eadem una,
quæ hominum corpora contegit, etiam no-
mina obrueret. Quamvis autem huic rei
toto animo semper incubuerim, ardentiori
tamen studio post Græciæ excidium & dete-
standam Byzantii captivitatem in perquiren-
dis libris Græcis omnes meas vires, omnem
curam, omnemque operam, facultatem in-
dustriamque consumpsi. Verebar enim &
vehementissime formidabam, ne cum cate-
ris rebus tot excellentissimi viri, tot summo-
rum virorum sudores atque vigilia, tot lumi-
na orbis terræ brevi tempore periclitarentur
atque perirent. Quemadmodum etiam su-
periori tempore tantam iacturam fecimus, ut
ex ducentis viginti millibus librorum, quæ
Plutarchus refert in bibliotheca Apamæorum
fuisse, vix mille ætate nostra supersint. Co-
nati autem sumus, quantum in nobis fuit,
non

non tam multos quam optimos libros colligere, & singulorum operum singula volumina. Sicque cuncta fere sapientum Græcorum opera, præsertim quæ rara erant inventu difficiliaque coegimus. Cæterum quum hæc sæpe mente repeterem, parum desiderio meo satisfecisse videbar, nisi pariter providerem, ut libri, quos tanto labore & studio coegerim, me vivo ita collocarentur, ut etiam defuncto dissipari alienarique non possent, sed, in loco aliquo tuto simul ac commodo ad communem hominum tam Græcorum quam Latinorum utilitatem servarentur. Hoc igitur cogitant mihi, multasque Italiæ urbes animo volventi, sola tamen vestra inclyta atque amplissima civitas occurrit, in qua animus meo omni ex parte conquiesceret. Primo enim non videbam, quem locum eligere tutiorem possem, quam cum qui æquitate regitur, legibus tenetur, in unitate ac sapientia gubernatur, ubi virtus continentia, gravitatis, iustitia, fidei domicilium est: ubi imperium ut maximum est atque amplissimum, ita æquabile & moderatum. animi in consulendo liberi, nulli libidini, nulli delicto obnoxii; prudentes imperii clavum tenent & boni malis præponuntur, ac privatorum commodorum obliti totum corpus Reipub. unanimi consensu & summa integritate procurant. Ex quibus sperandum est civitatem vestram (quod optamus) in dies magis
&

& vires & nomen propagaturam. Dehinc intelligebam, nullum locum à me eligi posse, commodiorem, ac nostris præsertim hominibus aptiorem. Quum enim in civitatem vestram omnes fere totius orbis nationes maxime confluant, tum præcipue Græci, qui è suis provinciis navigio, venientes, Venetiis primum descendunt. Ea præterea vobiscum necessitudine devincti, ut ad vestram appulsi urbem, quasi alterum Byzantium introire videantur. Post hæc quomodo poterit hoc beneficium à nobis honestius locari quam apud eos homines, quibus ego multis eorum in me beneficiis devinctus obstrictusq; essem, & in ea civitate, quam mihi subiugata Græcia patria elegissem: & in quam accitus à vobis atque honorificentissime receptus fuissem. Itaque conscius mortalitatis meæ, & ingravescentem iam ætatem diversosq; quibus affligimur, morbos, & cætera quæ evenire possent, considerans, omnes libros meos utriusque linguæ sacratissimæ Ædi B. Marci vestræ inclytæ civitatis dono dedi atq; dicavi: sentiens talem me animum & Excellentiæ vestræ & gratitudini meæ, & quam mihi communem esse voluistis, patriæ debuisse, ut vos ac liberi posterique vestri, qui me virtute ac sapientia vestra multisq; in me beneficiis addictum, deditum obstrictumq; habetis, heredes laborum meorum fructus uberes

diu.

diurnosque capiatis: dein cæteri, qui bonarum disciplinarum studiosi erunt, vestra causa capiant. Quapropter & donationem ipsam, & librorum indicem, & Pontificis Maximi decretam ad vestras Excellentias mittimus, precantes Deum, ut Reip. vestræ omnia bene feliciter prospereque eveniant & pacem habeat, tranquillitatem, otium, concordiamque perpetuam. Valeant Excellentie vestræ feliciter. Viterbi IV, No. Maias.

Bessarion Cardinalis, Patriarcha Constantinopolitanus, Basilicæ B. Marci Venetiis dicavit.

F I N I S.

Index

Index rerum
co Op

A Blatros

Affertend

Acantmia

traductum

Abid incocto

Adimertra

tario possi

tes dūto quos

Ad feres hoc

le procerb

Appolaru

dis arbo

antitac

Aba

Adverbi

cumfi

Alcare,

Aido.

Wfo ihy

Germ

Wfo ihy

Holo

Amasia.

us, Ab

Amates

Antiof